INVENTARIO

722

f 35 – IV. – 13.

4737 - IV - 13.

De Epidemia Rheumatica &c.

De Aorta Polypo &c.

De Strangulia Venerea &c.

Osservazioni Mediche &c.

Della Fistola dell' occhio &c.

PUVE 009439
SPA 17

735 - IV. - 13.

DE EPIDEMIA RHEUMATICA

ANNI MDCCXXX

PRÆLECTIO

CAROLI FRANCISCI COGROSSII

Habita in Academia Patavina Nonis Novembris MDCCXXX.

PATAVII, MDCCXXXI.
Typis Jo. Baptiſtæ Conzatti.
Superiorum Permiſſu.


DE
EPIDEMIA
RHEUMATICA

ANNI MDCCXXX

PRAELECTIO

CAROLI FRANCISCI COCROSSII

Habita in Academia Patavina Nonis
Novembris MDCCXXX.



PATAVII, MDCCXXXI.
Typis Jo. Baptistae Conzatti.
Superiorum Permissu.

PRÆSTANTISSIMO SENATORI

ANTONIO LANDO

ÆDIS DIVI MARCI PROCURATORI

CAROLUS FRANCISCUS COGROSSIUS
FELICITATEM

POſtulabat *Nominis Tui Dignitas, Senator Amplissime, ut quæ in meis Studiis jam dudum premo typis aliquando tradenda, niſi meliora hoc Opuſculo,*

majora saltem, veluti in fasciculam colligata Tibi in obsequii, gratique animi specimen exhiberem. Postulabat, fateor, grande aliquid LANDÆ Gentis memoranda nobilitas, Tuaque simul nihilo minor Avita Virtute Virtus. Quis enim vel in ipso limine statim non videat, quam impar sit locus, in quo collocatur splendidissimum Nomen, paucis, iisque exiguis admodum pagellis inscriptum? Notissimæ quippe sunt, & ab Historicis pervulgatæ res gestæ a Majoribus Tuis, quorum aliqui ad Sacerdotii, alii vero ad Imperii fastigia pertigerunt. Habes in Fastis Avitæ Historiæ Summum

Pon-

Pontificem Landum. Habes domi, ac foris Gentis Tuæ vestigia, ac monumenta, quæ non unam ex Italiæ Civitatibus decorarunt. Habes in Annalibus Augustæ Reipublicæ Petrum Principem: Antonium Legatum in Continenti, subinde Imperatorem: Vitalem, Franciscum Procuratoris Marcii purpura insignitos: Joannem, Hieronymum Equestri Ordine claros. Habes demum Joannis Patris imaginem, qui ad Innocentium, mox ad Alexandrum PP. MM., deinde ad Lodovicum Galliarum Regem, Orator difficillimis temporibus ita Veneti Imperii Majestatem, & jura sustinuit,

ut ambigi merito possit, Patriæ ne cui tantum tribuere studuit, an vero Principibus illis charior fuerit, atque acceptior. Eques proinde, ac D. Marci Procurator Emeritus, cum pluries SexVirum gravissimis de Republica consultationibus interesset, Orator ad ipsum Turcarum Regem jam destinatus, Patriæ vivere desiit. Quibus exemplis tum antiquis, tum recentibus excitatus, Præstantissime Procurator, non modo Avitam, sed Paternam Virtutem ipsam pari Gloria æmularis, quippe qui Vincentiæ, ac Utini Magistratibus magnificentissime, ac sapientissime gestis

ita

ita in Urbe consilio, gravitate, prudentia, ac justitia præfulges, ut major etiam Dignitate, quam sustines, videaris. Hisce igitur, aliisque bene multis argumentis, quæ proferre possem, serio pensitatis, ab offerendo levidensi hocce munusculo abstinerem, majora pro viribus daturus in posterum; nisi recentis honoris, ac beneficii, quo me ne visum quidem dignatus es, memoria gratum animum sollicitaret, præsertim vero humanitas illa Tua, qua studiis favere soles, ne Physicis quidem exceptis, ita ingenio ad omnia factus, ut Publicis gravioribus curis Scientiarum quoque, ac bo-

narum Artium cultum in ſecretiori cimelio copulare conſueveris. Vale diutiſſime & Reipublicæ, & Tibi, in quo Uno Honeſtiſſimi Generis ſplendorem ſupereſſe non modo gratulor, ſed diu, multumque a D. O. M. enixe precor ſuperfuturum.

Patavii XIII. Kal. Februarii MDCCXXXI.

DE EPIDEMIA RHEUMATICA ANNI MDCCXXX.

PRÆLECTIO.

ANno Septingentesimo Vigesimo nono supra Millesimum jam elapso, altero que, qui modo ad finem properat, vix ineunte de Febre quadam Rheumatica Transalpinas Regiones longe, late-que pervagante invaluerat rumor. Omnes ferme in finitima Tridentina Provincia, ne dicam in penitioribus Rhetiæ, aut Germaniæ locis, eodem morbo vexari nunciatum tuerat; cum, rigido flante Borea, ruere cœpit ex Alpibus malum, Patavinaque hæc Civitas, quæ alioquin salubriori fruitur aere, infausto veluti sydere aflata est. Primo universali gravedine corripi fere omnes, & singuli: mox febricitare, potissimum Senes, aut minus prospera valetudine præditi: obire demum aliqui, iique aut genere, aut dignitate, aut virtute clariores. Illustri uno, aut altero exemplo territi cives domi se continebant, neque ægrorum numero par ullo modo esse poterat Medicorum manus (quam non exiguam, imo enimvero satis validam habet Civitas,

vitas,) ipsis quoque intra domesticos parietes pro aris, & focis dimicantibus, & cum communi morbo luctantibus. Horridum sane erat, non modo spectare vias civium frequentia destitutas, verum etiam in Foro ipso triste Justitium, quod a morbo quodammodo indictum fuerat. Urgebat interim juncta una cum aeris siccitate frigiditas, sudo omnino manente cœlo, aut saltem nullis fere nivibus delabentibus, tametsi Solis facies fusis interdum nubibus tegeretur. Cum vero eadem & ipse ægritudine affectus febricitarem; mirabar tacitus mali amplitudinem, atque efficaciam, eoque magis attonitus contemplabar, quod illa Hyeme, quæ Annum Septingentesimum nonum supra Millesimum memorabilem fecerat, hec longe mitior re ipsa esset, neque tanta vis nivium montes obrueret, neque plantis, atque fruticibus intentaret necem, neque in Thermometris demum, quibus tamquam exploratoribus utimur, aut Vini spiritum, aut aerem ipsum in tantas angustias redigeret, atque contraheret. Illud etiam accedebat, quod Constitutio præfati Anni Rheumatica, quam descripsit amicissimus, dum viveret, Archiater Lancisius (a), longe ab hujus immanitate distaret; In illa etenim proletarii plerumque homines laborabant, nec vestibus protecti satis, neque luculento igne adversus frigoris inclementiam instructi: In hac vero prædivites, qui basilice vixerant, tametsi intra rite obsignatas domesticas ædes degerent, eodem omnino morbo conflictabantur. Nulla fere ætatis, sexus, aut temperamenti conditio, tametsi de tuenda Valetudine sollicitus quisque esset, Epidemicæ Constitutionis impetum eluere poterat, quæ, ut de morte cecinit Venusinus,

aque

(a) *Epidemia Rheumatica Romæ An.* 1709. *Cap.* 1. *n.* 4.

æquo pulsabat pede
Pauperum Tabernas, Regumque Turres.

Cum igitur Hyems illa proxime elapsæ Hyemis frigus non paucis gradibus excesserit; hæc tamen illa fuerit non parum amplior, & sævior Epidemia: haud alienum ab Anni tempore, quod appropinquat, crediderim, in hac Solemni Studiorum Instauratione, paulo diligentius in ejus Causas inquirere, effectus explicare, & Publicæ Valetudinis, si quando res iterum tulerit, indicare præsidia.

Anni superioris Autumnum occupaverat Auster, quem lepide D. Hieronymus *Pluviarum Pincernam* vocat. Laxatis itaque ab Austrina Constitutione fibris, carnibus, atque solidis universis, ipsisque humoribus propemodum dissolutis (*Austri* etenim, ut nos olim docuit (a) Hippocrates, *caliginosi*, *pigri*, *dissolventes*,) invaluit demum altera aeris Constitutio, quæ ab ipsis Servatoris Nostri Natalitiis Solemnitatibus ad mensem, & ultra sicca, & frigida perduravit, quæ proinde colluviem serosam, qua scatebant glandulæ, jam solutam, ac fusam, correptis præ siccitate, ac frigore contractilibus villis, cohibuit, intercepit quodammodo, ac fixit. Januario mense ad exitum properante candicabant pruinis late consita tecta: glacie rigebant rivuli, ac fontes, totaque ferme rerum compages a penetrabili frigore, ac siccitate afflata solidescebat. Tanta vero erat urgentis aeris vis, & impetus, ut glacies ipsa inspirari propemodum videretur. Circa XXI. diem præfati mensis intensiora erant omnia: contractior in Thermoscopiis tum aer, tum Vini spiritus, in Barometris vero sublimius Hydrargyrum, quippe quod ad XX. usque lineam ascenderat. Prima ægritudinis rudimenta in ipsis fau-

cibus

(a) *Sect. III. Aph. V.*

cibus ſedem figere: Mox Trachææ glandulas exaſpe-
rare, contrahere, tuſſim excitare, raucedinem: in-
ſenſibili demum tranſpiratione cohibita febrem in-
ducere. De Capitis gravitate, aut dolore omnes,
& ſinguli, quinimo de quodam velui ſenſu preſſio-
nis, ac ponderis circa oculorum orbitas querebantur.
Febris tribus plerumque diebus ſolvebatur, modo
urinis large fluentibus, modo ſudoribus effuſe erum-
pentibus, quemadmodum mihi feliciter contigit ex-
periri. Si quis vero hujus, vel illius Criſis auſpicia
nanciſci minime poterat, is utique haud extra aleam
poſitus videbatur; quod nimirum catarrhi copiam ſu-
ſtinere cogeretur, eamque adhibito non levi tuſſis
conatu exanthlare, ac excernere. Raucis, ac tuſſien-
tibus refertæ erant domus non modo ſenibus, ſed vi-
ris ipſis, mulieribus, juvenculis, pueriſque. Inter
cæteros vero durior erat conditio ſenum, quos fa-
tigabat immanem in modum catarrhi copia, ac tan-
ta viſciditas, ut ſolidioris, aut denſioris cujuſpiam
corporis, quam humoris conſiſtentiam præſeferret.
Quod vero mirandum erat, Sacræ Virgines, quas
alioquin æterna clauſtra ſartas tectas ſervare ſolent,
invaſerat morbus; longe aliter ac in Algida quadam
Conſtitutione obſervavit Hippocrates. *Cæterum mu-
lieres* (ſunt verba (a) Divini Senis) *non ſimiliter a Tuſſi
afflictæ ſunt, verum paucæ febricitarunt, & ex iis val.
de paucæ ad Peripneumonicam affectionem devenerunt*;
cujus addit rationem: *cauſabar autem hoc fieri, eo
quod non ſimiliter, velut viri, prodierunt*. Eo demum
res venerat, ut non modo lympha, quæ hic illic
interfluit, in gelatinam quodammodo cogeretur, ve-
rum etiam, preſſis a catarrhi colluvie, ac pondere tum
Veſiculis, tum glandulis Pulmonaribus læthalis de-
mum,

(a) *Lib. VI. Epid. Sect. VII.*

mum, ac prorſus ineluctabilis Peripneumonia ſubreperet.

Ægritudinis tam longe, lateque fuſæ, quæ non modo Italiam, ſed univerſam fere Europam affecerat, abditas cauſas inveſtigare cœperant Medici, & Veterum Monumenta relegere, quibus traditum eſt ab Hippocrate, quem ſecuti ſunt Ballonius, Petronius, Cagnatus, Sylvius, Sydenhamius, Ramazzinus, aliique magni nominis Viri, inſuetam, ac irregularem tempeſtatum revolutionem, atque viciſſitudinem ſublime illud eſſe principium, a quo Epidemicorum morborum origo trahitur. Similem morbi faciem, Coryzæ ſcilicet, Tuſſis, ac Rheumatis invaluiſſe Romæ Sæculo XVI., & XVII. referunt Cagnatus, ac Donus, quem Vulgus *Il Mal del Caſtrone* appellare conſueverat. Novum idcirco minime erat hoc morbi genus, quandoquidem alias tum Romæ, tum alibi viſum eſt. Neque enim a veritate abhorret, regularem quandam, nec adhuc rite obſervatam Ventorum dari periodum, quæ ſtato tempore recurrat, quæque antiquas referat tempeſtates. *Illud ex aliquorum diligentia notatum eſt*, teſte graviſſimo Viro Franciſco Bacone de Verulamio, (a) *tempeſtates graviores, & inſigniores* (*fervorum, nivium, congelationum, hiemum tepidarum, æſtatum gelidarum*) *redire plerumque ad circuitum annorum XXXV.* Ego certe, cum Cremæ degerem, hoc ipſum non incurioſum acriter proſecutus ſum, ut nonnullorum annorum, XII. circiter, diurnas cum aeris viciſſitudines, tum Thermoſcopii, Barometri, Hygrometrique phaſes diligentiſſime in Aſtrologicis, quæ venales proſtant, Ephemeridibus recenſerem, non modo ut morborum occurrentium conditiones cum temporum

(a) *In Hiſtoria Ventorum.*

porum mutationibus conferrem ; verum etiam ut tandem aliquando (ſi modo per ætatem hominis liceret) explorarem , num cuilibet Regioni aſſignari queat determinata temporum vertigo , ſive periodus , qua ſemel exacta eadem plane aeris phœnomena , atque morborum conſtitutiones poſtliminio revertantur . Quidquid autem ſit hac de re , quam fortaſſe comperiet ſera poſteritas : illud certe a gravioribus Clinicis communi fere conſenſu ſtatutum eſt , delituiſſe in aere exoticum quoddam principium , quod ad ſolam aeris frigiditatem revocari non poſſet , cum illam Anni Septingenteſiml noni ſupra Milleſimum Epidemicam , atque Rheumaticam Conſtitutionem proxime elapſa non parum exceſſerit , quamvis hac hieme illa fuerit longe frigidior . * Mitto hic ea omnia , quæ commentus eſt D. Gauteron (a) in Societate Scientiarum Regia Montiſpeſſulani , qui ingenioſe quidem arbitratur (an vero ſolide , definire non auſim) nitrum aereum , a quo ſanguis rarefit , atque ſolvitur , hiemali tempore , atque frigore dominante , eatenus in majores moleculas coaleſcere , quatenus minor eſt motus , ac propterea in majorem molem adauctum ægre , & non niſi paucam ejus partem vaſculorum pulmonarium meatus ſubire poſſe , & cum ipſomet ſanguine commiſceri . Mitto , inquam , hec omnia ; cum nitrum iſtud aereum tantopere a Philoſophis uſurpatum in explicandis effectibus aeris in ſanguine , commentitium quiddam eſſe videatur ; poſtquam tum a D. Mariotte , tum a D. Lemery in rebus Chymicis verſatiſſimo

* *Hoc ipſo Januarii Menſe An.* 1731 , *quo pralo hec ſubjicitur Diſſertatio , intenſiori ſaviente frigore , ac longe elapſa hiemis frigus ſuperante , nulla fere Rheumatis ſpecies occurrit .*

(a) *In Memorabilibus Accad. Reg. Scient. An.* 1709. *pag. m.* 587.

mo compertum eſt (a), Nitri originem aeri non deberi, ſed excrementis, atque ſubſtantiis animalium, a quibus in ſubterraneis tantum, aut ſaltem humilioribus locis aeri nitrum ſuppeditatur. Verum hec opinio minime prohibet, quo minus abdito cuidam principio per aerem diſperſo, & fortaſſe ad acidum volatile accedenti præfatæ ægritudinis originem tribuamus; etiamſi determinari non poſſit, num ad Vitriolicum, Aluminoſum, aut Nitroſum genus fuerit referendum. Quæ cum ita ſint; nemo non videt, quam facile delatæ ab aere in ſanguinem rigentes, aſperæ, ac horridulæ hujuſce Salis particulæ potuerint tum faucium, & tracheæ in ipſomet tranſitu glandulas irritare, atque convellere: tum demum ſeri, & lymphæ texturam corripere, figere, & quodammodo congelare, ac proinde in quibuſdam aut ſenio confectis, aut ſeroſa colluvie refertiſſimis læthalem ſanguinis ſtagnationem inferre. Num vero ſalina hec effluvia ex aliquo ſpecu affatim, ac turmatim eruperint, quemadmodum jam pridem arbitratus eſt in ſua quadam habita Prælectione (b) Eruditiſſimus Ramazzinus, cum de inſigni illa Hyeme verba faceret, Philoſophis dirimendum relinquo. Neque enim a ratione omnino diſtat, Ventos proſilire e cavernis, tametſi Virgilium carpat Seneca, quod Ventos in antra conjecerit, & concluſerit. Proſtat in Boleslavienſi Bohemiæ tractu (c) hiatus profunditatis inexplorabilis, unde glacies in auras projicitur tanta quidem vi, ac impetu, ut homines, pecudes, quinimo ædificia interdum ipſa obruantur. Proſtant præterea in Sarmatiæ Montibus, e qui-

(a) *Hiſt. Accad. Reg. Scient. An.* 1707, *pag. m.* 50.
(b) *Hiemalis Conſtit. Algidiſſima An.* 1709. *Orat. &c.*
(c) *Ex Miſcel. Hiſt. Regni Bohem. Auct. Bohuslao Balbino S.I.*

(a) e quibus magna Salis copia quotannis effoditur, cryptæ ingentes Ventorum immanium perfœcundæ generatrices, Bernardo Connor in ſua quadam Hiſtoria referente.

Quaudo igitur ea erat conditio principii in aere dominantis (qualecunque tandem hoc fuerit) quæ humores cogeret, villoſque contractiles corrugaret; tota Medicorum induſtria in eo verſari debuit, ut fluidis elaſticas reſtitueret vires, igniculos ſubderet, ſolidiſque in contractionem nitentibus laxitatem neceſſariam conciliaret. Paſſim idcirco uſurpari cœperant juſcula violarum, & papaveris erratici floribus, raſuris eboris, & cornu cervi imbuta ad inſtar Theæ calida identidem ſorbillanda. Oleo Amigdalino dulci, cujus tunc temporis ingens quantitas vix integræ Civitati ſufficiebat, utebatur quilibet. Nonnullis Vini calidi potum, de quo habemus aureum nuper editum Opuſculum (b), in prandio, & cœna adhibendum non pauco cum fructu conſului. Raparum juſculis alios, alios vero decoctionis herbarum Veronicæ, hederæ terreſtris, betonicæ, ſalviæ, roriſmarini calidioribus ſubinde hauſtibus propinatis a graviori Rheumate immunes reddidi. Mox invalescente jam morbo, cum Peripneumonia in uno, alterove ſuccreſceret, ad fortiora præſidia confugimus. Phlebotomiæ plerumque anceps eventus fuit, nec ullum mihi videre contigit, quem (ut alias ſolet) ab Orci faucibus liberaret; cum in hoc caſu calcar potius addendus eſſet ſanguini in Pulmonibus cæſpitanti, quam fræna injicienda. Suffumigium Carabis adhibendum duximus, quo nihil ad tollendam gravedinem ſæviente hiemali gelu a præfato D. Gau-

teron

(a) *Hiſt. Polon. per modum Epiſt. Lond. 1698.*
(b) *Diſſertatio Auct. Joan. Baptiſta Davini &c. Mutinæ 1725.*

teron (a) efficacius inventum eſt. Profuit aliquibus Lini Oleum igneis particulis refertiſſimum, quippe quod inter cætera non concreſcens gelidioris aeris vim eludit. Apud quoſdam uſus invaluit Stib. Diaph., Hirc. Sang., Sperm. Cæti, & Croci, quem Animam Pulmonum appellat Schenchius, quibus in bolos cum Theriaca redactis ſuperbibebant potionem ſatis calidam ex incocta radice majoris Lappæ cum prædictis floribus, & raſuris. Aliquos ab ingruente catarrhi copia liberavit aſellorum expreſſio peculiari artificio comparata. Cum vero tam fortiter in hac ipſa conſtitutione ſputa concreſcerent, ut ſolida potius, quam viſcida viderentur; quidni utendum fuiſſet radice Pareiræ bravæ, quæ lentores Pulmonibus inhærentes attenuat, ac potenter ſubigit, aut modo Terebentinæ, modo Fuliginis Spiritu in hauſtu quodam calido propinato, quinimo ipſimet Oleo Amigdalino ad guttulas inſtillato? Quidni inungendum fuiſſet pectus, & adhibendæ frictiones etiam ex Vino Malvatico, & Oleo illo plane mirabili Alexipharmaco Magni Ducis Hetruriæ? Quidni demum his omnibus externis remediis aliquibus Petrolei guttulis additis excitandus fuiſſet motus fluidorum ad necroſim tendentium? Quid plura? In tanta rerum anguſtia ne abſtinendum quidem ducerem ab ipſo Mercurio cum diaphoreticis, & auri foliis rite compoſito, quo ad ſolvendas concretiones nihil habet efficacius Ars Medica. *Malo nodo malus cuneus adhibendus*. Porro tanta erat Epidemici hujuſce Rheumatis vehementia, ut in Hetruria, & Ligurni plures ex ſubita quaddam catarrhi irruentis ad fauces, & ſpiritum intercipientis copia præfocati interirent. Quamobrem non alio ibidem remedio uſi

ſunt,

(a) *In Memorab. Accad. Reg. Scient. An. 1709. &c.*

ſunt , quam valido aut curſus , aut ſaltationis labore uſque ad ſudorem , quem in lecto prolicere ſtudebant . Alii vero Pariſiis , ut nunciatum eſt , tum Balneis , tum Hypocauſtis ſudorem ipſum provocare ſolebant , quod nobis longe facillimum eſſet , quibus Aponenſia ſuppetunt Balnea peculiari Naturæ beneficio ad hunc ſcopum accommodata .

Hec habui , A. O. , quæ dicerem de elapſa illa Epidemia Rheumatica , quæ tot Viros ætate graves , dignitate , ac virtute ſpectabiles ſuſtulit , præſertim vero Antonium Valliſnerium æternum Academiæ noſtræ decus , & ornamentum . Primus ipſe in Civitate communis Morbi , qui ſub gravedinis nomine vagabatur , inſidias expertus eſt . Primus , qui cæteros ſuo periculo cautos faceret , ut quos olim vivens manu apollinea ſalvos fecerat , moriens etiam ſuo doceret exemplo . *Grande vulnus Academiæ noſtræ inflictum eſt* , utor verbis Octavii Ferrarii (a) de ſublato Veslingio . Grande , inquam , vulnus inflictum eſt Academiæ noſtræ , quinimo Italiæ univerſæ , quæ vel uno , ſi alia non habuiſſet , Valliſnerii nomine gloriari poterat . Hìc enim egregius Malpighii diſcipulus , Rediique feliciſſimus æmulator ita Anatomen , & Hiſtoriam Naturalem excoluit , ut per varios Gymnaſii Patavini gradus ad Primariam demum Sedem ab Ampliſſimis Reipublicæ Auguſtæ Triumviris Literariis , quibus Majores ingeniorum æſtimatores , ac Judices non habemus , evectus fuerit . Plura is edidit ſuorum laborum cedro digniſſima monumenta , quæ tum dicendi elegantia , tum rerum ubertate ita ab omnibus commendantur , ut de his quidquam dicere in ſplendido hocce literatorum cætu ſupervacaneum videatur .

(a) *Literatorum Funus Proluſ. XIII.*

tur. Scripſit longe plura, quorum ego teſtimonium perhibere poſſem luculentiſſimum, quippe qui ſuaviſſima ejuſdem conſuetudine uſus ideo tanto Viro ſuperſtes vivam, ut Præficæ munere fungar ſemper. Plura demum is protulit nova omnino ex Hiſtoriæ Naturalis, & Anatomes viſceribus eruta, quorum ſingula ſcriptoribus ſingulis gloriam comparare potuiſſent. Quæ vero unquam fuit in ipſo morum humanitas, & vivendi ratio? Teſtes advoco Patavinæ Academiæ Juvenes electiſſimos, quos ipſe in domeſticis ædibus humaniſſime exceptos & Doctrina, & exemplo incitabat ad ſtudia, libris, & ſcriptis, quibus (mirum, quantum!) affluebat, liberaliſſime commodatis, non raro etiam dono datis. Teſtes habeo clariores Literatorum Viventium Proceres, cum quibus ipſe

(a) nitidis argenteus undis

ita purioris, ac generoſioris amicitiæ ſervavit leges, ut nihil magis optarent, quam amicum inter cæteros recenſere, & dicere Valliſnerium. Factum proinde eſt, ut, vagante paſſim ejuſdem fama, Auguſtiſſimi Cæſaris Caroli VI. gratia floruerit, aureo non minus torque, ac numiſmate, quam inſigni Medici Cubicularii Cæſarei Nomine decoratus. Eques deinde a Sereniſſimo Duce Mutinæ pronunciatus, Nobilioribus Viris, ac Principibus ſumme charus, quibus non raro pari cum virtute, ac laude Medicinam fecerat, magis aliis, quam ſibi vivere deſiit. Quid? quod inter Matronas ipſas, Una, eaque & Genere, & Scientiis ſatis clara non defuit

Con-

(a) *Ovid. Metamorph. &c. Vide Numiſma typis impreſſum in Libro.* Lezione intorno all' origine delle Fontane del Sig. Valliſneri *&c. Ven.* 1726.

(a) *Contemptrix Clelia ſexus*,
quæ Valliſnerium inviſeret, ad populoſiſſimæ Urbis baſilicas ædes invitaret, exciperet, & ſplendidiſſimis muneribus cumulatum dimitteret. Luget Academia, Civitas ereptum ſibi Virum, quem advenæ non minori curioſitate ſpectare conſueverant, quam ejus Muſeum rarioribus Naturæ, & Artis operibus refertiſſimum Promptuarium. Ipſe interim, qui (b) *tantum in Modicis, quantum in Maximis* laboravit: qui ſupremi Conditoris artificium in ampliſſimo Naturæ Regno explorare nunquam deſtitit, modo puſillos noſtros labores ridet, & dum nos hoc agimus,

tenuique in pulvere ſulcos

ducimus, ipſe grandia meditatur, & ſublato velo æterna fruitur Veritate.

Candidus inſueti miratur limen Olympi,
Sub pedibuſque videt nubes, & ſydera Daphnis.

DIGEBAM.

(a) *Sil. Italic. &c. Vide alterum Numiſma in Libro*: De' Corpi Marini, che ſu' Monti ſi trovano del Sig. Valliſneri *&c. Ven.* 1728. *cuſum pro Comitiſſa Pranobili D. Clelia Grillo Borromea Ingenio nulli ſecunda.*

(b) *alterum Numiſma Florentiæ cuſum Antonio Valliſnerio*:

A

DE AORTÆ POLYPO

EPISTOLA MEDICA.

PUVE 009440
SPA 1057

DE
AORTÆ POLYPO
EPISTOLA MEDICA
Præclarissimo, ac Eruditissimo Viro
CAROLO PATINO
EQUITI DIVI MARCI
Et in Lyceo Pat. Medic. Pract. Professori Celeb.

Qua, ejusdem abditissimum morbum a Polypo arteriam magnam insidente dependere, demonstratur, ac de ejus Natura, dignotione, & curatione disseritur;

Cum ejusdem Cadaveris historia Anatomica eventum comprobante.

EDITA AB ILLUSTRISSIMO VIRO
ALEXANDRO KNIPS-MACOPPE
Publico Primario in Archigymnasio Patavino Professore Celeberrimo.

BRIXIÆ MDCCXXXI.
Sumptibus Caroli Gromi.
Superiorum Permissu.

AD LECTOREM.

SI quid in morborum curatione divinum est (ut olim subindicavit Hipp.) severa effectuum, causarum, atque accidentium dijudicationem instituisse, ut ineluctabilis, integraque diagnosis eluceſcat, esse, haud dubio censerem: Exantlatis quippe omnium suspicionum ambagibus, veræ tunc, & solidiores, tamquam e speculo, indicationes

nes

nes apparebunt. Hoc cum unaquæque malorum Indoles expoſcat, quæ tamen medium ventrem ingruit, majorem plerumque ſolertiam eludens, enixe præſtolatur. Multiplex hiſce in partibus affectio, ſignorum alioquin caritate lumen efundens, eorum multitudine luctuoſam ſimilitudinem affert; ut tanta rerum obſcuritate, qua iter, & qua conſilium ſit, arduum medentibus negotium imponat; dum omnia videntur eſſe principium, & omnia finis. *Hipp. lib. de loc. in hom. n.* 1. *& lib. de oſſib. n.* 17. *Ne tamen poſtera, ac erudita medicorum Cohors, ſimili effectuum mendacitate, cum in ſtabiliendis morbis, tum eruendis indicationibus hallucinetur; Benigna denique D. O. M. Providentia factum eſt, ut Celeberrimus hujus Libelli Auctor efulgeret, qui ſummo ingenio clarus, doctrina inſignis, experientia probatus, &*

majo-

majori ratiocinandi fælicitate, & fæliciori decernendi claritate, tum Medicis, tum hominum incolumitati compararet. Hic enim, ornatissime Lector, accuratissimam omnium pectoris morborum, signis cunctis expletam, ratione, ac experientia adstipulante, veluti ejctam Iconem habes; de Aortæ præsertim Polypo, quem indagandi, atque extirpandi methodum erues numeris omnibus absolutam; Cæteros namque vetustioris ætatis magnos medicinæ Coryphæos hoc saltem antecellit: Illis de polyposa materie, Cadaverum monitis Anatome, differentibus; Ipse vero, adhuc respiranti corpore, primus omnium graphice pinxit; uti Autopsia, spiritu jam ægrotantis emisso, comprobatum est. Quod cum acrium ingeniorum Trutina Leopoldina Academia volutasset, tanti Operis memoriam in Ephemeridibus Germanorum recudere cõmendavit.

davit. Ita eximiis in Medicina faciendâ Viris, quaque horâ, summaque sollicitudine ad me confluentibus; Atque de hoc opere undequaque secluso conquærentibus; dum cæteros transcribentes videram, hîc quoque prælo illud mittere, me magna tanti Nominis fama motum, subscripsi. Hæc habui, quibus te gnarum redderem: reliquum est, ut pro humanitate tua æque bonique facias; Magnum namque pro hoc munere aquisiviſſe, ſi in bonis ægrorum rebus acceperis, arbitrabor. Vale

Tui addictiſſimus
Carolus Gromi.

EPI-

EPISTOLA

Præclarissimo & Amicissimo Viro

CAROLO PATINO

Polyistori, & Medico Phylogermano.

S. P. D.

CUm, nescio quo fato, in morbi historiam inciderim, quo pluribus ab hinc mensibus assidue torqueris, multaque, ac discordia Medicorum judicia circa ejusdem essentiam, causas, locumque affectum perlegerim, rei novitate, & difficultate raptus circa tot diversas conjiciendi rationes mentem intendere libuit, hasque ponderationes, qualescunque sint, tibi examinandas offerre, amor, & obsequium, quo tuam sem-

per prosecutus sum benevolentiam, atque eruditionem, me compulit, hac certitudine, me, non solum de Germania tibi addictissima, sed de totà litteraria republica benemeritum fore, si pro tanti viri incolumitate, utili consilio, vel quocumque labore insudaverim: quod si neque ego rem acu tetigerim, aut ipsa voto responderit, difficultas morbi, & obscuritas, & communis medicorum deceptio ausus sat pœnas luent.

II. Scio enim, te per varias Clinicorum Sententias exagitatum, ac perterritum prudenter determinasse, malle Morbo confici, quàm remediis; si tamen ratio, vel probabilitas quædam dubietatem hanc convellet, quæso ne argumenta, ut moris est, irrideas, nisi hæc contraria ratione ridicula evadant; quæ fortè si tuis hypotesibus male consentiant, scias opinione judicatam obscurari veritatem, quæ non nisi menti præjudiciis liberæ elucescit. Hinc si ratio assensum extorquebit, ne repugnes medicam manum admoveri, nam uti nil

stultius

ſtultius eſt, quam ignoti affectus medelam intentare, ita nil impius foret, quam ejuſdem ſpectata natura ea claritate, ad quam licet humanas evehere conjecturas, in pollicitam opem expuere.

III. Quæ ergo ex morboſa Iliade excerpſi hæc ſunt: Te ſcilicet, ex valida, & activa conſtitutione ſexagenarium factum, ſollicitudinum varietate, ac litterariis laboribus attritum, vitaque ſedentaria emollitum, duobus ab hinc annis in faciei pallorem, cachecticum habitum, & aliqualem extremorum emaciationem inclinaſſe, cum pulſu inæquali, & perturbato, ac Dyſphnæa, præcipue dum per plana inclinata digrediebaris, Ptyaliſmo aliquando copioſo, albo, viſcidulo, nulla, vel tenui tuſſi, nullo dolore, aut pondere in præcordiis, vel in dilatatione, aut conſtrictione thoracis ſenſibili, nulloque ſonitu, aut ſtertore in reſpiratione, ſed cordis anxietate, tremore, vel levi palpitatione per vices exacerbatis; quibus affectionibus phlæbotomia, catharticis, bechicis, ac ſudorificis mederi conſilium

cum fuerit; in Hypochausto excitato sudore, omnia symptomata exasperata fuisse, ita, ut Ortophnoicus summo vitæ discrimine factus fueris; a quo repetita venæ sectione emersus, etsi per viginti circiter dies symptomata omnia parum relaxari visa sint, denuo tamen sensibilem cordis palpitationem, respirationem concitatam, anhelosam, ac cum efflatu, uti festinantibus, ac præfocatis contingit, inordinatim, etsi noctu præsertim, vel quacumque levi corporis inclinatione, & membrorum agitatione recurrentes, cum pulsu continuo inæquali, deficiente, ac recurrente exacerbatas fuisse, quibus etiam recrudescentiis repetitam phlæbotomiam, quæ sanguinem densæ texturę, cum crassamento glutinoso, ad instar membranæ superextenso, uti in inflammatoriis affectibus apparet, opem tulisse fertur.

IV. Nec minora tot symptomatibus medicorum judicia reperio. Quidam enim te pectoris, aut pulmonis Hydrope laborare contendunt. Quidam Asthmate humoro-

so

ſo a phlægmate intercepto intra bronchiales fiſtulas: quidam vero aſthmate tantum ſicco, & convulſivo, a Phneumaticis nervis, & folliculis irritatis, & conſtrictis, te affici putant. Alii pulmonis lobos vomica, vel crudis tuberculis obſideri, aut ejuſdem membranas coſtis adnatas eſſe: alii leves arterias craſſis humoribus, vel tuberculis obſtrui conjiciunt. Nec deſunt, qui arteriarum Aneuriſma, vel auctam cordis ſubſtantiæ magnitudinem, aut ejuſdem ventriculorum dilatationem, vel ipſum pericardium tumore aliquo affectum, vel nimia lympha, aut ſero cor inundans accuſent. Plures vero craſſitiem Sanguinis per pulmonis vaſa, cordiſque ventriculos lente trajecti redarguunt; pluresque flatus in corde, pericardio, vel qualibet alia ſpiritali parte concluſos, aut ſanguini permixtos in cor irrepentes inculpare, haud inficiantur.

V. Quam levibus fundamentis innitantur hæ omnes conjecturæ, te non latere puto, unde illas refellere ſupervacuanem

existimarem, nisi ex earumdem ruinis, ad solidiorem constructendam Hypothesim, fragmenta aliqua eruere animus esset.

VI. Pectus ergo aqua non obrui, præter carentem tussim, sitimque cum febricula in thoracis Hydrope fere semper conjuncta symptomata; nulla sensibilis aquarum fluctuatio a corporis agitatione, vel inclinatione, uti sonitus aquosi humoris in utre semipleno concluſi a Zacuto Lusitano *lib. I. pra. admi. obs.* III. observatus, sat manifestat. Adde recurrentem tantum dysphnęam, cordis anxietati consectariam, nullum ab Hydragogis, aut spirituosis sudorificis, sed a phlæbotomia levamen, nullum partium ædematosum tumorem, urinas nec crudas, nec lixivas, pulsus duros potius, quam molles, inundantis aquæ in Thoracis cavitate indicia delere.

VII. Ast hisce meridiana luce clarioribus; de pulmonis quoque Hydrope suspicio omnis refellitur. Affectio sane obscurissimis principiis, passionibus aliis similimis irrepens, quæ tamen, cum in te jam

altiores radices ageret, cum Hyppocratica descriptione deberet congruere. Habetur enim lib. 2. de morbis. *Si Hydrops in pulmone sit, febris, & tussis tenet, & acervatim respirat, & pedes tument, & ungues contrahuntur, & patiuntur talia, qualia quis suppuratus sit. Et si multo tempore aure ad latera adhibita audire tentaveris, ebulit intrinsecus veluti acetum, & hęc quidem aliquando patitur, postea erumpit ad alvum, & statim quidem sanus esse videtur.* Quæ omnia, aut separatim, aut collective sumpta, an tuæ affectionis specimen referant, cuilibet licebit judicium ferre. Præterquam quod hoc affectu laborantes, non nisi elevato decubitu, ac quasi erecta cervice, ob auctam noctu respirationis difficultatem, somnum capere audeant, sicuti Heredia *disput. 6. de morb. diff. cap. 4. in* quodam se vidisse testatur, qui *noctu suffocationis invasiones sic pertimescebat, ut malles vigiliis perpetuis consumi, quam ad dormiendum se recolligere;* qui primi somni molæstissimus insultus inter hujus morbi pathognomonica signa a Ri-

verio *Pra. med. lib. 7. cap. 5.* recenſetur.

VIII. Potuiſſet quidem, cum pulmonum compages fiſtuloſa ſit, omni vaſorum genere contexta, ſeri fluore inundari; quod in lobulorum interſtitia, veſiculas ſcilicet illas membrana tenuiſſima, ac diaphana circumſcriptas, & inter lobulos interceptas delegatum, congeſtumque, lobos ipſos pulmonum in tumorem extendiſſet; vel in eorumdem ſuccingentem membranam erumpens tubercula aqua repleta in plurium quadrupedum pulmonibus ab Hyppocrate lib. de internis affection. ſpectata, vel veſiculas ichore plenas, Hydathides dictas, iis ſimiles, (quas in jecore aqua pleno adnotavit Galenus, *Com. 7. aph. 55.* atque in ovibus Hydrope affectis paſſim occurrunt) in externa ejuſdem ſuperficie produxiſſet. Verum in hoc caſu plenitudo aliqua, & inflatio perſentiretur, aut jam diſruptis Hydathidibus, aqua in cavitatem thoracis erupiſſet, cujus nulla extare indicia ſuperius oſtendimus; in illo, ob auctam pulmonis molem, & compreſſos tra-

cheales folliculos brevis continuo esset respiratio, vel inspiratio expiratione difficilior, nitentibus pectoris musculis resistentiam, quæ dilatationem pulmonum inhibet, superare.

IX. Si Asthmatis nomine quæcunque respirationis difficultas intelligatur, te Asthmaticum esse lubens admitto; verum si difficultas spirandi, secundum Celsi mentem, *lib.* 4. *cap.* 4. pro ut se intendit, aliud, atque aliud sibi vendicat nomen; quæ, si cum sono laboriosa est, communiter Asthma dicitur; te numquam Asthmaticum fuisse dicerem, & multo minus, ob trachcales tubulos corrupto phlægmate obstructos. Quænam enim tussis, quænam expectoratio pituitosi glutinis, per quam Asthmatis paroxysmos solvi docet Trallianus, *l.* 5. *c.* 4. hujusmodi infarctus arguit? Quinam cum Stertore anhelitus, quem lentorum, crassorumque humorum bronchia obsidentium indicium esse admonet Galenus, 4. *de loc. aff. cap.* 8.? Absque sensibili screatu solvitur, ac recrudescit dys-

dyſphnæa. Quod ſi aliquando ſibilus aliquis percipitur, haud tamen hic aerem in phlægmaticas concretiones intra bronchiales ſinus impingentem demonſtrat, cum interea ſdem fiſtulas conſtrictas, ac contortas, & inæqualiter compreſſas inſpiratus aer, illiſus ſibilum edere poſſit, vel in ipſa ſuffocatione validius inſpiratus, expiratuſque aer, bronchiorumque parietibus repercuſſus, uti a violento curſu anhelantibus contingit, dyſphneæ ſibilum addat.

X. Sed aliquem aſſerentem peraudio, ſputo nullam ejici materiem, quia eadem indurata, ac quaſi lapideſcens Bronchialibus alveolis conglutinatur; cum humor craſſus, ac viſcidus, longa mora in angu-ſtis ſinibus, caloreque partis intenſo, facile poſſit, in tophaceam materiam concreſcere, ea fortaſſe forma, qua Horſtius *lib.* 3. *obſ.* 4. *de morb. pect.* expectorata recrementa ita compacta vidit, ut arboris radicem, caudicem, ramoſque in ipſis Tracheæ ſinibus, tanquam modulis effecta, omni ex parte referrent. Aſt labitur conjectura,

cum

cum materia tam alte impacta, præter continuam dyſphnæam, pectoris gravitatem, tuſſim altam, atque inanem excitaret; quæ tandem, aliqua hujus materiæ conglobatæ excretione, ſicuti ab expectorato calculo, & grandinoſa maſſa contigiſſe, tradiderunt Trallianus & Galenus, *lib. 5. cap. 4.* relaxaretur.

XI. Bronchiorum obſtructione refutata, Aſthmatis propugnatores inculcant, non obſtrui quidem, ſed comprimi tracheales folliculos a copia ſeri per vices turgentis, vel viſcidis, lentiſque ſuccis ſtagnantibus intra minima vaſcula, quę pulmonum cellulas corymborum ritu perreptant, ac vinciunt; quibus facile ſubſcriberem, ſi ſolveretur paroxyſmus ſenſibili aliqua reſolutione, vel per tuſſim, vel per urinam in Aſthmaticis haud raro contingente; ſi gravitas, ſi pondus cum aſſidua dyſphnæa ineſſet; verum laborioſa reſpiratio per breviſſima intervalla recurrens fluidam, ac reſolubilem, haud vero ſtagnantem, & fixam cauſam oſtendit.

Non

XII. Non ita tamen trachealium alveorum coarctationem refellimus, quin alii, non a viscidis concretionibus intra recensitum illud vasorum rete; sed a tendinosis fibris, tunicam interiorem bronchiorum, & vesicularum componentibus, spasmo affectis, illam deducere, haud contendant. Constat quippe, præter Sanguifera, & lymphatica vasa, nervis quoque vesicolas membranulas circumretiri, in quas erumpentes exagitati spiritus, in pulmonis ramis, aut in ipso cerebro concepta primum irritatione, dum earumdem fibras validius inflant, circumscriptam quoque cavitatem coarctant. Hujusmodi suffocationes in Hypocondriacis, atque Hysterici affectionibus frequenter observamus, in quibus nulla humorum, vel intra, vel extra vasa stagnantium copia, sed ipsa solà spirituum exagitatio in Pneumonicis nervis noxam ferre, probabiliter videtur. Sed si hanc spasmodicam affectionem summa pectoris distensio, & elevatio comitatur, cui etiam, ob validas musculorum con-

contractiones, coactamque thoracis dilatationem, expiratio inspiratione difficilior succedit; densa tantum, & anhelosa respiratio, absque sensibili differentia inter constrictionem, & relaxationem pectoris, haud idem suadet. Insuper spasmodici insultus, ut plurimum alicubi dolore, vel convulsione præcedente recrudescunt, ac aliquando assidua flatuum eruptione solvuntur, quemadmodum nos in sene convulsivo Asthmate correpto sæpe vidimus, vel urinæ profluvio, quod sæpe adnotavit Willisius. Tu vero absque ulla sensibili excretione vexaris, nulla, vel cerebri, vel Systematis nervosi læsione, nulla Hypocondriorum intumescentia, aut dolore manifesto, quæ, in mesentericis plexibus exortas convulsiones ad spiritales usque partes propagari, suspicionem afferant.

XIII. Si bronchiorum ductus quocumque pituitoso infarctu carent, non minus pulmonum lobos vomica, crudis tuberculis, vel quacumque solida concretione immunes esse Galeni *lib.* 1. *de diff. resp. cap.*

11. monitu arguitur, cum enim (docet ipſe) *intra ipſum pulmonem affectus ipſe incumbit, quamvis thorax ſe plurimum diſtendere poſſit, tamen parum inſpirat, etiam ubi intermedię ipſorum organorum regiones fuerint occupatæ.* Quod ſi vomica lateret, gravedo aliqua, & extenſio, vel aliquis ad minimum obtuſus dolor ad os pectoris, vel os ſpinæ, ob incumbentes pulmones ad eas partes, perſeveraret. Etſi enim Clandeſtinus affectus vomica ſit, quæ teſte Tulpio *lib. 2. obſ. cap.* 10. inter initia vix ulla ſui proferat indicia, & citra corporis ſenſibilem noxam per plures annos congeſta materia, eroſa tandem cyſtide, puris copia obſervante Fernelio *lib. 5. de part. mor. & ſym. cap.* 10. derepente erumpat: ſæpe tamen contingit, poſt quemdam internum dolorem in Thorace, & præcordiorum æſtuationem, diſrupta vomica, fœtidæ materiæ quantitatem per tuſſim excreari.

XIV. Nec de grandi tuberculo dubitandum eſſe crederem, cum nec *dolor acutus thoracem, & latera occuper, nec caput &*

pal-

palpebras dolores vexent, nec videre non possis, nec corpus subfulvum evadat, & pustulis ex igne velut rubentibus compleatur, quibus symptomatibus jam adauctum tuberculum stipari adnotavit Hyppocrates *lib. 2. de morb.* De nascente Phymate aliqua fortasse vigeret suspicio, nisi a Galeno 4. *de loc. aff. cap.* 8. allata indicia conjecturam eliderent. *Si citra febrem angustia molæstentur ægrotantes, atque ab hoc crebro, celeriterque spirent; ac thoracem vehementer attollant, sed non ita multum aerem attrahant. Et si per bonam valetudinem sic difficulter inspirare incæperit, augeturque accidens, neque inter respirandum stertere videatur, crudi tuberculi ortum suspicari oportet.* Dysphnæam siquidem tuberculorum proventu factam paulatim adaugeri, donec perpetua semper, & æqualis, non perjodica, vel cessans, recurrensque evadat, observavit Jo: Fortis. *Cons. Med. cent. 2. cons. 7.* Hisce adde ex Sennerto *de morb. diff. cap.* 10. linguam lentore quodam, seu mucilaginoso humore imbutam. Decubitum ægri supra latus affectum

placi-

placidiorem, juxta Herediæ monitum, & pulſus duritiem, ac uniformem inæqualitatem a Jonſtono *Ide. Prax. lib. 5. cap. 3.* recenſitam, quorum omnium ſymptomatum abſentia quamcumque de Phymatum rudimentis ſanctionem explodit.

XV. De Tuberculi tantum exortu in levibus arteriis, vel earumdem a lentis, & craſſis humoribus obſtructione decantatiſſimum Antipatri Medici exemplum a Galeno *lib. 4. de loc. affec. cap. 8.* adductum, aliquam certitudinem videtur afferre. Ille enim quaſi ſexagenarius factus, cum poſt pulſum omni inæqualitatis genere inæqualem per ſex menſes a Galeno obſervatum, levi quadam ſpirandi difficultate affectus eſſet, accedente ſimul cordis palpitatione (ſunt Galeni verba) *in primis quidem ſemel, deinde bis, atque ter, poſtea quater, ac ſæpius quoque aucta ſimul ſpirandi difficultate ad quindecimum uſque diem, poſt quem, difficilima derepente oborta ſpiratione, exolutus, ſtatim obiit, aliorum quorumdam exemplo, qui cordis affectu laborant.* Cujus

morbi

morbi initium, & incrementum tuæ affectionis notas adamuſſim conſtituunt; a quibus, cætera morbi tempora utinam aberrarent. Sed deductio Galeni, quod obſtructio levium arteriarum, vel crudi cujuſpiam tuberculi ortus ea omnia Antipatri ſymptomata induxerint, non ſine examine eſt traducenda.

XVI. Leves arterias, venam ſcilicet arterioſam, arteriamque venoſam e cordis ſinibus per univerſam pulmonum ſubſtantiam divaricari, atque earumdem ope circuitum Sanguinis per cor, & pulmones abſolvi, nemini, vel leviter Anatomiæ initiato, latere, crediderim; quapropter iiſdem obſtructis, vel compreſſis in ſectionibus prope cor, cum ſanguinis quoque trajectio intercipi neceſſe ſit; ſi in vena arterioſa obex fuerit, tota Sanguinis moles in dextero cordis ventriculo contenta haud derivabitur in pulmones; ſi vero in arteria venoſa idem extiterit, nonniſi obtruncato gurgite in ſiniſtrum ſinum cruor reſluet. In primo caſu, abſque ulla reſpirationis

difficultate, magna cordis oppreſſio cõtingeret; in altero vero, citra cordis anxietates, dyſpnæa ſæviret. In hoc enim, haud tracto ſanguine in ſiniſtrum cordis ſinum eadem proportione, qua è dextero ventriculo efluit, ob venæ arterioſæ, ac arteriæ venoſæ ramos infra impedimentum diſtributos, nimium diſtentos, ac complexas veſiculas comprimentes, non ſecus, ac in inflammatis pulmonibus evenit, continua anhelitus conſtrictio, aut ſuffocatio adeſſet. In illo, ob imminutam ſanguinis derivationem in pulmonica vaſa, ac ob ejuſdem ſtagnationem, aut repercuſſionem intra dexterum ſinum, abſque pulmonum diſtenſione, aſſidua oppreſſione, ac concuſſione afficeretur cor: Atqui in neutro caſu pulſus omnimodam inæqualitatem coniungi neceſſe videtur, quia, cum tuberculum crudum ſupponitur, ac proinde impedimentum minus cedens, atque eadem ſemper reſiſtentia obſiſtens conſtitueretur, æquali ſemper quantitate efluens, refluenſque cruor, nec alteratis villorum cordis

con-

conſtrictionibus, eadem ſemper proportione arterias diſtenderet. Haud inficior quidem, a repletis venis compreſſas arterias, ut ipſe Galenus *de cauſ. tul. lib.* 2. *cap.* 2. teſtatur, pulſus inæquales reddere; ſed in iis tantum arteriis, quæ repletis venis ſubſternuntur. Plures etiam arteriarum conſtrictiones pulſus inęqualitatem cauſarunt; verum non in univerſo arteriarum ſyſtemate, ſed in iis tantum ramis, qui ab affecta ſectione derivantur; ita, dextero pulſu inalterato, ſiniſtrum tantum inordinatum à compreſſis arteriis ſubclaviis, ob apoſtema ſub axillæ ejuſdem lateris glandulis, obſervavit Pannarolus *Pent.* 1. *obſ.* 23. ac Dodoneus ad 35. Beniv. de abdi. a callo in aorta loco cordi proxima Aſphyxiam in ſiniſtro pulſu ſe vidiſſe, tradit. Quod, & Galenus 1. *de diff. reſp cap.* 10. videtur indigitaſſe; dum ait, *Quod, juxta partes, in quibus obturatio hæret, & quæ cum in his communicant, inæqualitas ſit manifeſta, & par vitas pulſuum*. Unde, ex inæqualitate pulſus in carpis percepta in Antipatro, Aor-

tæ potius, a qua ſubclaviæ arteriæ divaricantur, quam levium arteriarum ad pulmones tantum ſpectantium compreſſiones, vel obſtructiones, debuiſſet arguere; quod fortaſſe aſſecutus eſſet Galenus, ſi Antipatri Cadaver diſſecaſſet.

XVII. Haud contenderem tamen, glandulosas levium arteriarum tunicas, ex arteriolis ab aortæ trunco propagatis derivato humore, tumoribus cujuſcumque generis, uti cæteras glandulas, affici; atque intra ipſarum cavitates lentos, ac viſcidos ſuccos poſſe concreſcere. Sæpe enim ſtrumoſam pulmonum ſubſtantiam vidimus, ipſamque in nobili Anglo Phtiſico ex hæmophthiſi, & variolis facto, tam crudis, quam ſuppuratis tuberculis refertam invenimus. Ac Jacotium Monachum Aſthmate mortuum integris pulmonibus, ſolo abceſſu in vena arteriola exiſtente, vidiſſe, refert Pereda, *Scol. in lib.* 1. *Paſc. cap.* 26. a quo, licet eadem contigiſſe, quæ Antipatro Scholiographus Hollerii *lib.* 1. *de mor. inter. cap.* 30. teſtetur, dubium tamen eſt,

num

num a ſolo obſtruente abſceſſu pulſus inæ-
qualitas, & cordis palpitatio ortum duxe-
rint; cum Villiſius *tract. de affect. Hyſt. et Hypo.* arteriam pulmonicam polypo fere in totum obſtructam, maximum cordis gravamen, & oppreſſionem, cum reſpiratione difficilima, & laborioſa, citra pulſus inæqualitatem, & Palmum intuliſſe, viderit. Quamobrem poſſes quidem cum Antipatro difficulter ſpirare, non autem inæqualem pulſum habere a levium arteriarum infarctibus; quos etiam in te non adeſſe, dilatationi thoracis obſequens pulmonis diſtenſio, expirationis, & inſpirationis æqualitas, vel ipſo admonente Galeno, 4. *de loc. affe. cap.* 17. qui cum *inſpirati aeris quantitas magnitudini dilatationis thoracis correſpondet; de nullo in vaſis pulmonum infarctu dubitandum eſſe docet;* præter alia argumenta, quam maximè comprobant.

XVIII. Ita interioris pulmonum ſubſtantiæ omni expurgato ſcelere, alii extrinſecam eorumdem membranam criminantes, ipſa mediante, pulmones pleuræ

adnaſci aſſeverant. Affectio ſane ab Hyppocrate *ſecundo lib. de morbis*, *& de locis in homine* enucleata, & pluribus exemplis à Claudino *Conſult. Med.* 179. Saxonia *pract. med. part.* 1. *cap.* 27. & Rhodio *Cent.* 1. *obſ.* 23. illuſtrata, quam, ſi ampla, & arcta fuerit, moleſtam Dyſpnęam, etiam in ſanis hominibus afferre *Riol. Antrop. lib.* 3. *cap.* 11. monuit; ſed in hoc caſu ſuſpirioſos ægros fuiſſe, & inſpiratione expirationem difficiliorem habuiſſe, ob ſubſidentiam pulmonum ad inſpirati aeris expreſſionem requiſitam, a plueræ conglutinatione inhibitam, iidem tradunt; atque ibidem adnotavit Hyppocrates: *tuſſire ægros, recta cervice ſpirare, Salivam tuſſiendo reiicere albam, ſupra latus affectum decubitum ſuſtinere, non autem ſupra ſanum, ſanguinemque ſtridere ſicut pellim, & ſpirationem cohibere*; quorum omnium indiciorum privatione ab hoc etiam crimine pulmones vindicantur; imò Nicolaus Maſſa cohærentiam pulmonum cum pleura cordi utilem eſſe, ne pulmonum mole prematur, nec ullam ſpirandi

diffi-

difficultatem adferre, & Kerckr. obſ. An. 72. pulmones, coſtis, & ſterno firmiſſime adhærentes ſine dyſpnæa reperiiſſe, teſtantur; quo etiam in te conceſſo, ab unico tamen hoc fonte cætera tui morbi ſymptomata quis derivaret?

XIX. Hinc alii a quacumque organica labe Pneumonicam Machinam exceptantes, cæteraſque partes in Thorace concluſas ad examen revocantes, arteriæ magnæ aneuriſſima, vel auctam cordis ſubſtantiæ magnitudinem, aut ejuſdem ventriculorum dilatationem accuſant. In valida enim palpitatione cor amplum, & venam arterioſam duplo naturali ampliorem vidit Bellinus. *cap. de mor. pecto.*, ac Ballonius *lib.* 2. *eph. epid. p.* 144. in quodam difficulter ſpirante, abſque pulmonum læſione, cor majuſculi capitis magnitudinem adæquaſſe refert, & *ad paradig.* 73. cordis valvulas, & magnam arteriam ita diſtentam vidiſſe, ut cor triplo, aut ad minus duplo amplius appareret. Petrus de Marchettis *obſ. Chiru.* 4. ex amplo corde, ut tria naturalis

turalis magnitudinis æquaret, Diaphragmati, & pleuræ adnexo, respirationis dificultate quemdam laborasse, testatur; atque ex prælectionibus Dominici de Marchettis non semel audivi, Aortam cordis ventriculo latiorem in quodam assidua palpitatione attrito repertam fuisse; & in simili affectione dexterum cordis sinum ita dilatatum, ut tenuem membranam referret. In hisce tamen cordis, & arteriarum constitutionibus Palmum, ac Dyspnæam continuo infestasse, ratio, & eventus suadent; ita enim, Professorem illum Metaphysicum, Aneurismate in arteria magna extra cor laborantem, decem, aut duodecim annos pulsationem præternaturalem in sinistra Thoracis parte exhibuisse, meminit idem Marchettus, *obs. Chiru.* 48. Ruyschius, *Cent. obs. med. chir.* 37. Aortæ aneurisma, cum tanta pulsatione, ut manum pectori admotam percuteret, adnotavit; ac Juvenis ille, qui, tradente Heurnio, *obs. rar. Hist.* 28. cor bovino non multo minus exhibuit, assidua Palpitatione detinebatur,

nebatur. Quæ omnia, cum in te tantum recurrentia sint, haud tam fixas, & permanentes causas possumus hariolari.

XX. Haud levi tamen conjectura Pericardium tumore aliquo obsessum, vel nimia lympha, aut sero obrutum, cordis motum depravare, Cęteri autumant. Quibus fortasse ansam præbuit Galenus, 5. *de loc. aff. c.* 2. qui in cordis galli panniculo involvente Scyrrhosum, & in Simiæ Pericardio serosum tumorem, seù Hydathides, atque in pluribus animalibus dissectis uberiorem humoris copiam urinam referentis detexit, a cujus plenitudine, & tumorum extuberantia, cor impediri posse, ne attollatur, arguebat: Quidquid reluctetur Diemerbroekius *Anat. lib.* 2. *cap.* 5. copiam liquoris in Pericardio palpitationem facere; cum cor in ipso facilius moveri possit, quam in pauco latice, quod duobus exemplis confirmat, quæ duas libras aquei humoris ad minimum sine Palmo exhibuerunt; cum etiam Riolanus *med. part. sect.* 1. *tom.* 2. Tulpius *obs. Med. lib.* 2 *cap.* 26.

a Pe-

a Pericardii Hydrope palpitationem Cordis excitatam fuisse comperierint, & Carolus Piso *de il. fer sec.* 3. *cap.* 11. in quodam Palmo, & Dyspnæa laborante Pericardium immanem in tumorem elatum, pluribus libris aquę distentum, invenerit. Rondeletius tamen *de dign. morb. cap.* 10. tumorem, & tuberculum circa Pericardium palpitationem, & tussiculam feciſſe, adnotavit; Petrus Salius *de curat. morb. ab. alus non ex. cap.* 7. observavit, Pericardii tumore aliquo affectos sensim, ac sine sensu in dies magis contabescere febri lenta oppressos, quam perinde affectionem Pericardii tabem nuncupavit; & Zacutus Lusitanus *Prax. admir lib.* 1. *obs.* 128. ter morbum hunc vidit hisce stipatum symptomatibus. Hi (inquit) *animi deliquio, cordis palpitatione, pulsu duro, parvo, nulla præcedente tabitudinis causa, Syncope oppressi vitam ducebant, & accedente febricula consumpti sunt.* Cum verò limphæ inundatione in Pericardio, cordis constrictiones, vel restitutiones vitientur, palpitatio evenit, mo-

nen-

nente Galeno, loco ſupracitato, *ſignificatione quadam, quod cor ipſum in humore moveatur*; quod de Veneto Procere Herculeſ Saxonia *præl. pra. p.* 2. *cap.* 1. tradit, *qui ſibi cor, quaſi in aqua natare, videri dicebat*; ac de alio refert Jo. Fortis *Conſil. cent.* 2. *conſ.* 46. qui fluctuationis ſenſum habebat, ac ſi cor aquæ innataſſet, cum pulſus lenitate, ac mollitie, continuaque quadam ſpiritus coarctatione, cordis tremore, vel jectigatione: Aſt Tu, nec fluctuationis ſenſu, nec febricula contabeſcis, ſed tantum per vices cordis ſubſultibus, atque anhelitus conſtrictione, cum pulſu duro potius, & coarctato detineris; poſt inſultus corde, & pulmonibus a quocumque quaſi labore vacantibus; ergo cujuſcumque ſeroſæ eluviei, vel alterius tumoris in Pericardio omnis labitur conjectura.

XXI. Ex hac itaque ſenſibili ſymptomatum remiſſione fixam, & organicam cauſam excludentes alii, a liquidorum maſſa per cordis ventriculos excurrente noxam omnem deducunt. Illa ſiquidem

denſæ

denſæ nimis, ac craſſæ texturæ, viſcidis; & terreis particulis referta, coagulationi apta, accenſionique inepta, haud rapida revolutione per cardiaca, & pulmonica vaſa trajecta, variis hinc inde ſtagnationibus Dyſpnæam, Palmumque parit. Plura adſunt exempla, in quibus, nulla organica labe ſpiritalibus partibus affectis, ex ſola fluidorum dyſcraſia Dyſpnæam, & Palmum ortum duxiſſe, fertur. Ita Villiſius *Ther. rat. c. de pal. cord.* circa baſim cordis, & in dextero ventriculo, cum ejuſdem lateris ſummè dilatata auricula, grumeſcentem ſanguinem in quodam palpitatione interempto vidit; & in cardiacis affectionibus ita coaleſcentem intra aortam aliquando ſanguinem invenit Salius *de cur. morb. ab. ord. pract. non ex. cap. 5. de aff. part.* 1. ut *integer ab ipſa educeretur, perinde, ac gladius ex vagina extrahi ſolet.* Nec rarum eſt, Hypocondriacos, & Cachecticos craſſo, & male ſubacto ſanguine refertos, frequenti cordis palpitatione, & anhelitus difficultate laborare. Verum

ſi de

ſi de ſanguinie craſſo judicium ad matulam prævalet, haud putarem, inculpanda eſſe liquida per pulmones fluentia; cum primis inſultibus, quibus ſummo vitæ diſcrimine Ortophnoicus eras, laudabilem cruorem, quo ad colorem, conſiſtentiam, & partium proportionem, Phlębotomia exhibuerit, præter ſpem, ob fœdum vultus colorem, qui crudum potius, ac ichoroſum ſanguinem indicabat: Quod ſi ultimis hiſce diebus craſſior ſanguis, viſcido craſſamento in ſuperficie ſuperextenſo, apparuerit; haud cauſam affectus, ſed productum judicaverim; eo quia, in dies viribus magis labeſcentibus, nec cordis embolo preſſum, nec pulmonis prælo ſatis atritum ſanguinem, craſſiorem conſiſtentiam acquirere, neceſſe ſit.

XXII. Etſi verò aſſidua Dyſpnæa, & palpitatio a ſanguine intra pulmones, & cordis ſinus, inſito tantum vitio, ſtagante, occaſionari poſſint; non video tamen, cur earumdem totalis ablatio, & recrudeſcentia, momento fere alternentur; cum tam

fixa

fixa ſanguineæ maſſæ dyſcraſia, ictu oculi haud corrigi poſſit, & renovari. Plures ſanè ſanguinis concretiones, cardiaca vaſa infarcientes, acutum, vel continuum affectum, non autem recurrentem produxiſſe a Petro Salio *cap. ſupracitato*, & Boneto Sep. *An. lib.* 2. *c.* 9. *ob* 7. edocemur; qui, a coaleſcente ſanguine, & ejuſdem grumis ſtabulantibus in aortæ ductu prope cor, febrem mali moris, & ſyncopem, & per quatuor menſes aſphyxiam contigiſſe, retulerunt. Non excluderem tamen a ratione procatarticæ, aut cooperantis cauſæ, hujuſmodi ſanguinis lentorem, cum, propter hanc conſiſtentiam, difficilius per obſtructas, aut quomodocumque conſtrictas cavitates, traiiciatur, ac infarctibus diverſi generis materiam præbeat.

XXIII. Hiſce omnibus in dubium vocatis, video, plurimos ad flatus, ſummum illum Jatricæ Moriæ aſylum, confugere. Quotieſcunque enim morbi cauſa latet, ludricæ evaporationes in ſcenam ducuntur, effingiturque minera flatuum, ventorumque

rumque ferax. Concedamus tamen, elasticas particulas a massæ heterrogeneæ fermentatione elevatas, in respirationis instrumenta, cordisque parietes impingere aliquando posse; verum, ut eorumdem contractiones, vel restitutiones lædantur; oportebit, hujusmodi flatuosa corpuscula supra momenta spirituum, & sanguinis, musculorumque fibras distendentium, atque eorundem elasticitatis vires agere; quos impetus, cum, nonnisi a valida fermentatione alicujus massæ arctiore loco conclusæ erumpentia corpuscula, acquirere possint; hæcque fermentatio, nullo dolore, gravedine, tensione, aut distensione in parte aliqua manifestetur; nulla probabilitate statui poterit, pro tui morbi causa, flatuum proventus. Non inficior tamen, quod partes in thorace contentæ flatibus distendi non possint; Hollerius, nempe capsulam cordis, utris instar, inflatam vidisse, testatur; & pulmones ita flatu turgentes, & inflatos, ut omnem thoracis cavitatem implerent, observavit Rhodius

cent. 11. *obs.* 12. Sed hæc pulmonum inflatio suspiriolam respirationem efficiebat, & expirationem respiratione laboriosiorem. Nec negarem, intra arterias, & sinus cordis fermentescentem sanguinem, ob admixtas viscidas particulas, in bullas quasdam elasticis corpusculis repletas, extenuari; a quibus tamen, cum in valida distentione cavitates cordis, & arteriarum detinerentur, pulsus intermittentia causaretur; donec, ab auctis constringentibus viribus, resistentes bullulæ dirumperentur. Præterea, si sanguis tam valida fermentatione exagitaretur humorum bilioforum, acriumque copiæ ubique in corpore scaterent, variæque partium inflationes, subsultus, ac intumescentiæ, flatuumque frequentes eruptiones, sicuti admonuit Hollerius *de morb. int. lib.* i. *cap.* 30. *De Præside quodam, qui sæpissime cordis palpitatione correptus, cum pulsu, vel nullo, vel parvo, vel sine ordine, paroxysmo soluto, crepitum, ructum, aut clysterem edebat.*

XXIV. Facile huc usque fuit (Vir Illustrissime) aliorum sententias, uti in cæteris

teris problematicis diſquiſitionibus uſu venit, refellere ; ſed ſolidam , & inconcuſam Hypoteſim conſtruere , per quam, tanquam per cauſam , & a priori , obſcuri phænomeni detegatur natura, mihi quoque ſpes omnis effugit: Sed ſi in rebus phyſico-medicis nullam aliam certitudinem licet habere , quam problematicam ; & de internis affectibus non evidentia , ſed conjecturis judicium ferri poſſit ; ſi eam attulerim hypoteſim certiſſimis innixam indiciis, per quam phænomena hæc omnia morboſa diluciden-tur , omneſque difficultates explanentur, ad eam perveniſſe ſcientiam, putaverim, ad quam æthiologica evehi poſſunt tentamina.

XXV. Adverto itaque, Te affectibus quibuſdam continuis , quibuſdam vero recurrentibus corripi ; pulſu ſcilicet continuo inæqualiter inæquali , & in ipſa exacerbatione obſcuro , deficiente, recurrenteque ; ac cordis jectigatione , vel levi palpitatione, & Dyſpnæa per vices inordi-

natim recrudescentibus; quos consectarios, ac secundarios affectus, a causa cedente, & mobili, illumque primarium, caulæque fixæ, & permanentis productum esse, ostendam. Nec putarem, tibi hunc pulsum, ex omni inæqualitatis fere genere, inæqualem, naturalem esse, non secus, ac intermittentem illum, quem recenset, fuisse in juvene quodam, Galenus in fine libri de præsagitione ad Posthumum; nam ipse 4. *de loc. affe. cap.* 11. 2. *de caus. puls. cap.* 1. inæqualitatem pulsus semper *affectus præter naturam, imo instrumentum læsum, seu ineptum, vel facultatem imbecillam, vel utrumque importare, testatur.* Quæ etiam regula nobis ab eodem Præceptore tradita, ad distinguendos affectus secundum naturam, aut morbose ægrotis inhærentes, magis suadet. Quoties, enim (docet ipse) *in prog. Hipp. lib.* 3. *cap.* 8. *com.* 39. *ex aliis omnibus signis morbus censetur esse sine periculo, unum accidens terrificum, ex natura adesse, sciendum, aut prorsus ante ægrotationem adfuisse, propter aliquam causam evidentem.* Pulsus

autem

autem tuus ſemper inæqualis, per vices cum gravi Dyſpnæa, & palpitatione conjunctus, dum ſuffocationem, Aſpphyxiam, atque ipſam Syncopem minatur, ſecundum naturam eſſe, quis diceret?

XXVI. Et ut hujus præcipui phænomeni rationem reddam. Suppono, Pulſum, dyaſtolem nempe, & ſyſtolem arteriarum, ab alterna cordis conſtrictione, & reſtitutione ſanguinem e ſinibus in arterias impellente, dependere; atque adeo ad pulſus conſtitutionem, præter alternam ſyſtolem, & dyaſtolem cordis, requiri quoque alternum influxum, & effluxum ſangninis intra ejuſdem ventriculos, quo modo arteriarum pulſationes vibrationibus cordis ſyncronicas eſſe, intelligimus; Hinc pulsū æqualem æqualitate ſyſtematica fieri, cum æquali impetu, ac quantitate, ab alterna cordis conſtrictione, intra æqualia temporis intervalla, trudetur ſanguis in arterias; e contra vero, ab iiſdem inæqualiter agentibus, inæquales pulſuum Rhythmos exoriri.

XXVII. Cum ergo in Te pulſus con-

tinuo inæqualis percipiatur, vel erit, quia cor inordinatim conſtringitur, vel quia ſanguis inæquali effluxu ventriculos cordis perluſtrat: Verum ſenſibilis ſemper cordis motus, validiorque ejuſdem exagitatio in palpitatione, cum pulſu obſcuro, & deficiente, non eſſe in conſtrictiva facultate læſionem, atque adeo nullum impedimentum in arteriis coronariis, vel nervis cardiacis, ſanguinem, & ſpiritus in cordis villos, pro ejuſdem conſtrictione ferentibus, demonſtrant. Sed cum ſanguinis quantitati, & momentis impulſus a corde acceptis proportionalis ſit arterię dilatatio, & diſtenſio; validę, & magnę cordis conſtrictioni, languida, & parva correſpondens arteriarum pulſatio, vitio ſanguinis interceptum eſſe impetum, neceſſario infertur. Hoc autem erit, vel inſitum, vel ab inſtrumentis derivatum; quod etiam videtur innuiſſe Galenus *ſynop. pulſ. cap.* 10. *& de præſ. pulſ. cap.* 5. dum ait, intercurrentem pulſum fieri, cum *actionem ſuam minus, quam uſus poſtulat, cor obierit, quod evenit,*

evenit, ubi, vel cor à multitudine gravatur, vel instrumenta sunt obstructa, vel angustata; & secundo de caus. pulsuum cap. 2. retulit, inęqualitatem pulsus corripi, *cum, aut valide comprimuntur arteriæ, aut obstruuntur, ac prępipue, si sanguis lentus, & crassus prope cor obstruat.* Quapropter sanguis, vel inęquali semper mole e vena cava, & arteria venosa in ventriculos cordis influet, vel per venam arteriosam, & Aortam, ab ejusdem sinibus effluet.

XXVIII. Cum vero sanguis ab extrinseco impulsu circularem, seu progressivum motum obtineat, cujuscumque quantitatis, aut qualitatis ille sit, dum ęqualibus impetus momentis per uniforme emissarium, ac per ęqualia temporis intervalla impellitur, æquali semper mensura egredietur; unde hujus inæqualis quantitatis per sinus cordis excurrentis ratio quærenda est in instrumentis, propulsum sanguinem inæqualiter trajicientibus.

XXIX. Num autem vitium hoc organicum in constrictione, compressione, vel ob-

obſtructione prędictorum ſinuum conſiſtat; numve impedimentum comprimens, vel obſtruens ſit concretio aliqua humoroſa, vel membranoſa, vel cartilaginea, vel oſſea, vel lapidea; grumus ſcilicet ſanguinis, tophacea, ſeu materia pituitoſa condenſata, vel quilibet alius tumor, carnoſa, aut polypoſa ſubſtantia, vel lapili, difficilimum eſt diſcernere.

XXX. Hoc forte rationabiliter determinari poſſet: cum uniformis pulſus non adſit, præſertim quo ad magnitudinem, & plenitudinem, impedimentum hoc eſſe quid cedens, ac flexile, plus, minus; modo ſcilicet prædictos ſinus magis, modo minus infarciens; indeque majori, vel minori liquidi quantitati aditum præbens; quod valde membranaceo humoroſę concretionis, polypoſæ ſcilicet ſubſtantiæ genium refert. Præterquamquod, nullus prę-cordiorum dolor, nulla cordis compreſſio, aut aſſidua anxietas, irritantis lapidis, vel enitentis tumoris indicia ferant. Omnia enim hæc dura, ac reſiſtentia, ſi exterius

cordi

cordi adnata essent, vel ejusdem oscillos obstruerent, inhibita cordis restitutione; aut pulsus intermittens, vel coarctata sinuum explicatione, semper parvus percipperetur. Ita Bellinus *tract. de pect. morb.* lapidem adnatum ramis coronariis majoribus, qua dexterum a siniſtro ventriculo dirimunt, & in altera valuularum genitum vidit; qui variam pulsus intermissionem producebat, dum viveret æger, mirisque ipsum doloribus afficiebat: quod etiam cujuscunque osseæ concretionis existentiam expungit: Vel intra cordis thalamos a Platero *obs. lib.* 3. in juvene palpitatione interempto; vel ad Aortæ radices, a Gemma *lib* 2. *Cyc.* & Wilisio *Pharm. rat. cap. de palp. cord.* deprehensam in sene quodam, cui Aortæ truncus a materia ossea, seu potius saxea ita compressa erat, ut, rima tantum relicta, sanguis vix per dimidium, quo debebat, torrentem effluere potuerit. Ab his enim obstructionibus a materia minus compressibili factis, quatenus eadem semper resistentia intercipi-

tur ſanguinis rivus, eadem fere ſemper pulſus, vel inæqualitatis differentia producitur.

XXXI. Hinc cum ſæpe hanc pulſus inæqualitatem ſuffocatio, ſeu Dyſpnæa comitetur, crederem, impedimentum hoc, non in vena arterioſa, vel dextero cordis ventriculo, ſed in arteria venoſa, aut Aorta, vel in ipſo ſiniſtro ſinu exiſtere. Obſtructa nempe vena arterioſa, ob denegatam e dextro cordis ſinu totalem ſanguinis derivationem in pulmones; quatenus minus comprimerentur bronchiales veſiculæ, levior fortaſſe reſpiratio ſequeretur; vel intra eumdem cruor aggeſtus, ultra progredi non valens, ſummum cordis gravamen, & oppreſſionem, abſque ſummo reſpirationis labore, inferret. Sed ab infarcta venoſa arteria, ob intercluſum in ſiniſtrum ventriculum a pulmone réfluentis cruoris aditum, repleto magis pulmone, ac coarctatis ejuſdem folliculis, anheloſa, & difficilis fiet reſpiratio. Haud diſſimili modo, ob venæ pulmonariæ

trun-

truncum prope cordis insertionem lapidescentem, ac coarctatum, ut sanguis nonnisi guttatim in cor instillaretur, Dyspnæam causatam Bonetus *Sepul. Anat.* 2. *obs.* 9. comperiit.

XXXII. Etsi vero utroque, vel altero tantum cordis sinu, & levium arteriarum ductibus simul, vel sejunctim infarctis, æque respirationis labor inferri possit, Willisio etiam adnotante *tr. de aff. Hyp. & Hyst.* polypum in arterias pulmonicas illapsum, difficilem, & laboriosam respirationem intulisse; & Ballonio *ep. eph. lib.* 2, *pag.* 144. qui, e pueri Dyspnæa laborantis utroque Cordis sinu ingentes polypos evulsos, vidit; quos etiam ibidem respirationem difficilem, ac sensim deficientem causasse Academici *Nat. Cur. obs.* 31. & Bonetus *Hist. Anat. lib.* 2. *obs.* 93. attulerunt; Nihilominus tamen, quia Dyspnęa recurrens, inæqualitas vero pulsus permanens est, exonerari venam pulmonarem in ventriculum sinistrum, non autem ab hoc in Aortam impelli æqualiter sanguinem, infertur.

tur. Quod si dyspnæa, & pulsus inæqualitas ab obstructione tam venosæ arteriæ, quam Aortæ, ab influxu scilicet, vel efluxu sanguinis intercepto, æquo deduci potest; cum tamen, ut plurimum, laboriosæ respirationis recrudescentiæ momentanæ sint, eo in loco obstruens impedimentum adesse, crederem, ubi, ad ejusdem evincendam resistentiam, validiores exeruntur vires. Quapropter, cum in siniſtro ventriculo, & Aorta vividiores impetus vigeant, quam in vena pulmonari, *Polypodem excrescentiam, vel in vestibulo siniſtri ventriculi, & ad Aortæ radices, vel in ejusdem ostio intra semilunares valvulas, vel intra parietum intertextas columnas, & carnosos lacertos implexam,* uti aliquando observavit *Malpighius diff. de poly.* esse, autumarem. Haud diversimode in cujusdam siniſtro cordis sinu, qui pulsu miris sane modis inæquali, & vario præditus erat, glandulosæ, & subnigricantis carnis libras duas invenit Vessalius. *Anato. lib.* 1. *cap.* 5. Riverius *Cent.* 4. *obs.* 21. in muliere, ex pulsus inęqualitate, & palpitatione

pitatione diu infeſtata, in ſiniſtro ventriculo carunculas fuiſſe repertas; quarum major Aortæ oſtium præcludebat, tradit. A Piſſinio *diſſert. de poly.* etiam in mulieris, aſphyxia ſæpe laborantis, ſiniſtro cordis thalamo carnis fruſtula in placentulæ morem compreſſa, reperta ſunt: Et Eraſti *part. 5. diſput. de febr. putr.* obſervatione in alio, abſque febre, cum pulſu ex inæqualitatis genere maxime inæquali, flaveſcentem concretionem, inſtar medullæ, ibidem inhæſiſſe, conſtat. Nec ſemel a polypis in corde repertis pulſus interceptiones deprehendiſſe, Bonetus *Hiſt. Anat. lib. 2. obſ.* 10. teſtatur.

XXIII. Hujuſmodi quidem concretio mollis, ſpongioſa, proindeque compreſſilis, ac cedens cum ſit, & juxta leviores, ac validiores fibrarum cordis, & Aortæ conſtrictiones, magis vel minus intumeſcat, ac detumeſcat, plus minus occludit; hincque nunc majori, nunc minori ſanguinis quantitate trajecta in arteriam magnam, pulſus modo deficiunt, ac modo reſurgunt.

Cum

Cum vero quacumque occasionali causa, vel rarefacto, & effervescente, aut condensato, & coagulato sanguine, vel promoto aliquarum ejusdem partium fluore (non secus, ac vulgares polypi, qui contractiles cum sint, Euro, aut Austro flante, Celsi testimonio *lib. 6. cap.* 8. intumescunt) turgescit, ac quasi inflammatur Polypus, tunc parum sanguinis a cordis sinu in Aortam exprimitur ; hinc arteriarum vibrationes obscuræ, ac quasi intermittentes, villique cordis ab adaucta infarctus mole stimuli vim acquirente, ac stagnante intus sanguine, & repercusso irritati, densioribus spirituum copiis affluentibus, in validiores, ac crebriores constrictiones coguntur : unde anxietates, tremores, jectigationes cordis ortum ducunt. Quo tempore, cum e dextero ventriculo per venam arteriosam Sanguinis derivatio in pulmonem non intermittat, intercepto, vel imminuto refluxu in sinistrum sinum, necessario intumescent leves arteriæ, a quibus trachealibus folliculis compressis, & sanguine lente moto

distен-

distendente, ac premente, pneumonica instrumenta in violentiores, ac frequentiores contractiones irritantur; tum etiam voluntate annitente, per motus frequentes, & validos, molæstiam pectoris abigere, respiratio concitata, crebrique anhelitus recrudescunt; imo in supino decubitu in flatis pulmonum lobis supra truncos asperæ arteriæ gravitantibus, eosque magis comprimentibus; quia in recto situ pendens, atque expansus pulmo minus in eosdem nititur, Ortophnoicus evadis, & ex levi quacumque corporis agitatione suffocaris; quia a motu succussis nervorum tubulis, acceleratoque spirituum influxu in cordis villos, crebrioribus contractionibus major sanguinis copia in pulmones exprimitur; quæ compressos folliculos adhuc magis coarctat; donec infarctus resistentia a repetitis cordis constrictionibus devicta, & relaxatis vasorum corrugationibus, obstructa recludantur ostiola; & sanguis, si non æquali, majori saltem proportione, qua e dextero ventriculo extruditur, in sinistrum

deductus, ab eodem in Aortam exoneretur.

XXXIV. Quodsi ipsa exacerbatione spasmodicas cordis, arteriarum, bronchiorumque constrictiones addere lubet, haud refragarer; cum, etsi reliquum nervorum systema spasmodica dyatheси affici non videatur, possibile tamen sit, intra pulmonicos, & cardiacos nervos materiem spasmodicam tantum vigere, salinas scilicet acres, vel nitro-sulphureas particulas a sanguine lentescente in levibus arteriis secedentes, ac intra nervosas propagines uberius aggestas, cum summe elasticæ sint, dum in contractiles villos erumpunt, eosdem nimium inflare, ac convellere. Verumtamen præter hanc spasmodicam luem nervos insidentem, sanguis ipse stagnans, & excrescentia polypodes adaucta, spirituum validiorem refluxum in nervos ad cor, & spiritales partes spectantes sufficienti stimulo irritare possunt, ut spasmodicæ excitentur contractiones.

XXXV. Nec mireris fixam causam,

&

& permanentem recurrentes affectus producere; nam Palmos, & Dyſpnæa, quibus per vices excruciaris, conſectaria ſymptomata ſunt a ſuppoſiti infarctus modificatione dependentia; quibus evaneſcentibus, etſi nullo morbo detineri videaris, in te tamen pulſus continua viget inæqualitas, permanentis cauſæ ſoboles; qua perdurante, eorumdem affectuum recrudeſcentia continuo portenditur. Poteſt quippe dari interna cauſa permanens, licet non ſemper, atque eodem modo operans; ſicuti in illis, in quorum Cordium ſinibus Lapilli, & calculi reperti ſunt, non continuam, ſed frequentem cordis palpitationem viſam fuiſſe, Zacutus Luſitanus, *prax. adm. obſ.* 131. Heurnius, *obſ. rar. Hiſt.* 18. Wierus, *lib.* 4. *de præſt. dæm. cap.* 16. & Thomas Eraſtus *lib.* 1. *conſ.* 10. de Maximiliano ſecundo Imperatore, attulerunt.

XXXVI. Nec tibi ſtuporem, aut dubietatem inferat affectionis raritas, & apud Veteres parum comperta natura. Nihil enim apud Clariſſimos Bartholetum, Tulpium

pium, Bartholinum, Kirſtenium, Piſſinium, ac Malpighium frequentius obſervatum, clariuſque illuſtratum invenies. Quod forte indigitaſſe, videtur Galenus *lib.* 2. *de cauſ. pulſ. cap.* 2. vel per ſanguinem illum craſſum, ac lentum extremis arteriarum finibus compactum, ac potiſſimum prope cor obſtruentem; vel per Scyrrhoſum illum tumorem in cordis gallinacei pericardio 5. *de loc. aff. cap.* 2. adinventum, e quo nihil humoris exſudabat; ſed involutarum membranarum faſſiculus, vel glomer apparebat; cum hæc tumoris deſcriptio plane cum polypo a Malpighio *diſſert de poly.* delineato conveniat, ubi habetur, morboſam hanc excreſcentiam *præſeferre congeriem ſuperpoſitarum, extenſarumque pellicularum, quæ ſubſtantiæ modo nervoſum corpus, cum aliquali tamen mucoſitate, referunt &c.* Plures etiam polypodes haſce concretiones in cordis ſinibus obſervarunt, etſi eaſdem diverſo nomine inſignierint. Weſſalius nempe *Anat.* 1. *cap.* 5. in cujuſdam corde, qui pulſus inæqualitate afficiebatur, glanduloſam carnem

ſubni-

ſubnigricantem invenit. Panarolus *Pentec.* 4. *obſ.* 29. grumum ſanguinis ventriculo ſiniſtro adnatum, ut non ſine vi digitis divelli potuerit, ſe vidiſſe, tradit. Riverius *Cent.* 2. *obſ.* 77. auriculam dexteram ſolito majorem omnino refertam ſubſtantia quadam carnoſa, partim rubra, partim nigricante ſanguini concreto ſimili, quæ tamen manibus dividi non poterat, in cadavere cujuſdam mulieris a quindecim annis difficultate ſpirandi, cum pulſu valde inæquali laborantis, ſpectavit. Quibus adde Riolani, Wormii, & Bahuini de carnoſis excreſcentiis e cordis ſinibus excerptis paſſim conſutas hiſtorias, quę ſub alio etymo cordis polypi ſpecimen adamuſſim exhibẽt.

XXXVII. Nec ſolummodo cordis morbum, ſed etiam vaſorum omnium, polypum eſſe, comperies. In vaſis enim tum majoribus, tum minoribus per cerebri meninges extenſis in apoplexia aliquando reperti ſunt. In iliacis vaſis, & ſinu cerebri falcato polypodes concretiones vidit Langelotius, *ref. Bon. Anat. prac. lib.* III. *obſ.* 10.

Nos renibus aliquando inſertos, & in emulgentia vaſa divaricatos polipos offendimus. In cardiaca Syncope, præter cordis ventriculum, univerſam pulmonum ſubſtantiam polypoſis fruſtulis refertam invenit Bonfiliolus; quod in pleuriticorum, Aſthmaticorum, ac tabidorum cadaveribus paſſim intra venoſum genus occurriſſe, Malpighius teſtatur; uti, & Polypi vulgares, qui non tantum obſident nares; ſed fauces, & aures; imo ipſi utero, ſtomaco, & veſicæ inſertos adinvenit Ruyſchius *obſ. med. chir.* 5. quorum etiam in quarti paris oſſium maxillæ ſuperioris cavitate, Antrum Higomori dicta, bis repertorum *obſ.* 77. idem meminit.

XXXVIII. Cum vero plures etiam hujuſmodi concretionum differentiæ, præcipue quo ad molem, texturam, ſubſtantię modum, ac propagationem enumerentur, tuæ polypoſæ excreſcentiæ ſpecificas qualitates tibi graphice delineare, nonniſi Autopſia poſſet; ſed ſi in internis, & abditis dijudicandis affectibus, haud ita gravis

cenſetur

cenſetur error, innuere haud erubeſcerem; ex doloris privatione circa cor, non eſſe canceroſum, ſed ſævitatis expertem polypum; & a frequenti pulſus deficientia, & quodammodo reciproca recurrentia, aliquando ita mole magnum evadere, & ſimul cum grumeſcente ſanguine intumeſcere; ut Aortam fere penitus obſtruat. Ejuſdem tamen texturam haud ita denſam, & ſolidam eſſe, quin conſtrictionibus cordis, & arteriæ, atque ab impulſo ſanguine coarctari, & a præterlabentibus ſuccis tumefieri non poſſit. Poroſam enim, & quaſi fiſtuloſam polyporum ſubſtantiam, liquidis trajiciendis aptiſſimam eſſe, conſtat; imo ita vaſorum cavitatibus aliquando coaptari, ut aliud ſuperinductum vas efforment; & in quibuſdam albidiore ſubſtantia conſtructis intertexta purpurea punctula ſanguine referta conſpiciuntur; quibus modo magis, modo minus ſanguine turgidis, polypodes concretio nunc intumeſcit, nunc ſubſidet.

XXXIX. Materialem vero cauſam a liquidorum

quidorum massa cordis sinus jugiter perfluente, si polypi, & sanguinis texturam spectes, facile deduces. Ille enim, uti superius e Malpighio adnotavimus,& Autopsia constat, congeries est superpositarum, extensarumque pellicularum,quæ in fibras, ac solida filamēta,quasi nervea resolvuntur. In hoc vero, si serositatem secernas, si rubicundam tincturam eluas, substantiā quamdam subalbidam, & fibrosam, quasi nerveis fibris compaginatum rete conspicies; haud dissimilem pellea illa crusta in suprema extracti, & refrigerati sanguinis parte, in affectibus præcipue inflammatoriis, concrescente; quam intra cordis columnas, valvularum margines, & Aortæ asperitates irretitam, polypodem concretionem contexisse, arbitrarer. Quod si magis arrideret, a succis crudis, lentis, ac viscidis cum Bartholeto 4 *met. de diff. resp. cap.* 11. vel sanguine melancolico cum Pisslinio *Epist. de poly.* vel pituita cum Tulpio *obs. med. lib.* 1. *cap.* 27. vel a salibus coagulantibus cum Bartholino *Cent.* 4. *epist. med.* 11. ma-

teriam

teriam derivare, haud reluctarer; cum hæc Hypotheſim noſtram haud elidant; & intra tantos Viros pulverem excitare modo nec animus ſit, nec locus; etiamſi eorundem diſſenſiones facile conciliari poſſent, ſi pro crudis ſuccis, ac melancolicis craſſum ſanguinem terreis, ac ſalino-acidis fixioribus particulis refertum intelligi, liceret. Quod enim melancolici ſanguinis ſpecioſo etymo deſignatur, fibroſum eſt ſedimentum illud in extracto ſanguine imum matulæ tenens, a rubicundiore, & ſupernatante parte, non niſi ſitu, & preſſione differens; quod vero pituita, aut ſuccus crudus, pelliculam, ſeu cruſtam albam in condenſato ſanguine ſuperextenſam efformans, dicitur, a ſedimento craſſiore, nonniſi ſummitatis ratione, diverſificatur; cum alterutri humores eandem fibrarum cõtexturam referant, &, mutato tantum ſitu, invicem tranſmutentur.

XL. Sanguis ergo, ob ſtrictam, ac denſam nimium texturam haud debito fluore gaudens, internis cordis, & arteriæ

parietibus eo inhærere potuit, ut ejuſdem fibrillæ, cæteris fluidioribus dilabentibus particulis, ſubſidentes prima concretionis ſtamina jecerint; quibus novis ejuſdem figuræ, ac gravitatis jugiter affluentibus moleculis, aſſiduiſque villorum contractionibus, cruoriſque præterlabentis preſſionibus, veluti prælo compreſſis, in inſignem, ac ſolidam molem polypus excreverit. Nil porro frequentius eſt obſervatu, quam heterrogenei fluidi ad alveorum latera, per quæ devoluitur, homogeneas, vel ſymbolicas particulas conglobari. Ita turbidi maris ſedimenta in plura teſtacea, genium loci referentia, concreſcunt. Thermarum aquæ ductus minerali cruſta obducuntur; & ferream acum in muliebris veſicę oſtium intruſam tartarea materia, ab urina interfluente ſecreta, obvolutam vidimus; ac quotidie ſolidorum cõcretiones intra ſolida, ſola componentium corpuſculorũ congrua quadã diſpoſitione, ita eleganter compactas cernimus, ut, earũdem opificium a vi aliqua Architectonica excogitatũ, merito diceres.

XLI.

XLI. Talem fluidorum dyſcraſiam, præter morboſæ conſtitutionis indolem, tuum vitæ regimen, veluti a priori, demonſtrat. Ob nimiam quippe litterariam ſollicitudinem intra ſenſuum, mentiſque clauſtra conſumptis volatilioribus ſanguinis particulis, cæterarum partium tonicus motus imbecillior factus, vitaque ſedentaria enervatus magis, alibiles ſuccos nonniſi imperfecte ſolvit, miſcet, ac diſtribuit. Unde haud mirum, ſi, male ſubactorum laticum penu infarctis vaſis, pallido, & cachectico vultu oblangueſcas; ac eorundem aqueas, oleoſas, ac ſalino-fixas particulas ad fluorem evectas, & a parotidibus, ſalivalibus, & Palatinis glandulis omnibus eluctatas Ptyaliſmo copioſo elimines; quibus in dies adauctis, & in partium alimoniam ſuffectis, obruto non minus inteſtino ſanguinis motu, quam ſolidarum partium robore, præter virium imbecilitatem, & extremorum maciem, inflationes quoque ædematoſæ in limine adſint.

XLII. Aſt nimius eſſem, ſi ſymptoma-

tum omnium æthiologias afferre; si secundum omnes affectus gradus, causarumque occasionalium diversos agendi modos, philosophari mihi propositum esset. Sat sit, pauca hæc in abstrusissimo morbo ad methodicam curationem viam sternentia præmisisse; quam utinam morbus gravis, & inveteratus admitteret. Omnes enim practici hujusmodi affectionem, uti cognitu difficilem, si non impossibilem, ita incurabilem esse pronunciarunt; eo quod, nonnisi fatali ægrorum eventu, specimen sui fere semper soleat præbere. Malpighius porro a polypis syncopem, & apoplexiam excitatam vidit; cui etiam retulit Borellus, senem sexagesimum quartum agentem annum a polypo in Aorta prope cor extuberante inopinate defunctum fuisse. Tulpius *lib.* 1. *obs. med. cap.* 27. a polypo in sinistro ventriculo quemdam morbo attonito repente occubuisse, tradit; ac in alio subitanea morte concidente Bartholinus *epist. ad Sach.* idem deprehendit. Wefferus *cap. de apoplex.* Syncope cardiaca interem-

ptam

ptam mulierem a polypode concretione intra Aortam fuisse, admonuit. Constat namque lunga observatione, deficientes, ac recurrentes pulsus, uti, & cordis palpitationes, sæpius in syncopem deducere, & Ortopnoicos ex tempore suffocari; imo Kirstenius, referente Bartholino *Epist. Med.* 86. *cent.* 2. plures cordis polypo affectos catharro suffocativo extinctos fuisse, observavit. Vereor itaque, ex Dyspneæ invalescente recrudescentia, ne in dies adaucta magis infarctus mole Antipatri fata subeas. Ille enim, Galeno *lib.* 4. *de loc. aff. cap.* 8. teste, tamdiu vixit, quo usque sola adfuit pulsus inæqualitas, nec periclitari incepit, nisi cum difficilis accesserit respiratio; qua continuo adaucta, donec maxima affecta sit, derepente exolutus obiit. Verum, ob Antipatri lapsum, vitam adhuc prorogandi haud spem omnem abjicias. Riolanus namque *Ench. Ana. lib.* 4. *cap.* 45. duos Lutetiæ aspyctos cum insigni virium debilitate sex, & decem annos vixisse, retulit. Riverius supracitatam mulierem a polypis

intra

intra cor per quindecim annos difficultate respirationis, cum pullu inæquali laborasse, meminit. Academici naturæ curiosi *obs.* 31. *Eph.* 1. nonnisi lentam mortem ex polypo utriusque ventriculi cordis irrepisse, adnotarunt: Tibique spem addat non totalem pulsus intermitentiam, sed deficientiam tantum, ac quandoque reciprocam recurrentiam adesse; vires adhuc cum robusto pectore, & promptitudinem ad oblata vigere. Nec extremum metuas diem, nisi, te assidua, & continua palpitatione attritum, frigidis extremis, totius corporis livore, frigido sudore, syncopeque Cardiaca per intervalla, cum gravi Dyspnæa concussum, videas. Tunc enim pulmonibus stagnante sanguine infarctis, & secedente serositate, ac variis modis concrescente fortasse perfusis, perperam morbi sedes a quibusdam adscribetur; cum juxta nostram Hypothesim hæc pulmonum labes haberet rationem producti, non causæ, ab obtruncato scilicet cruoris refluxu in sinistrum cordis ventriculum ortum ducens.

XLIII.

XLIII. Sed quod magis curationis difficultatem auget, illud est; quod licet certa conjectura polypodis excrescentiæ existentia sit demonstrata; nondum tamen, quonam medio sit dissolubilis, certis comprobatum est experimentis. Nondum enim, inter tot Jatrologismorum consarcinnatas centurias de extirpato cordis polypo historiam adinvenire, licuit; ob affectus fortasse obscuritatem, quem nonnisi anatomicus culter detexit. Neque huc referenda est Analogica Therapeia a vulgaris polypi intra nares inserti evulsione desumpta; nam cordis Arcem, nec Spatha, nec scepticis, aut escharoticis medicaminibus licet penetrare.

XLIV. Haud ita tamen supra vires artis censenda curatio est, ut tentamina omnia, tanquam inutilia, despiciantur: Cum solidiores carnis excrescentias in dissitis a corde partibus passim grassantes, Scyrrhosos, ac folliculosos tumores (ut de calculis, tophisque sileam) internis dissolventibus emolliri, ac extenuari, frequenter videamus; etsi ad eas, nonnisi retusis spiculis, ea-

dem

dem menſtrua deducantur, quæ per cordis, & arterię adnatæ ſinus pleniori gurgite, ac robore primo feruntur. Omnis quippe ſolida concretio a fluido aliquo ortum habuit, aut ſaltem incrementum; nec tam denſa textura compingitur, quin aliqua inania ſpatiola, aut amovibili fluido repleta non intercludens, inter quæ determinatæ ſoliditatis, figuræ, ac inteſtinæ agitationis devoluto menſtruo, denuo haud colliquetur.

XLV. Cum autem Autopſia conſtet, ſi extravaſato, & adhuc calenti ſanguini alkalica quæcunque dicta, præſertim volatilia, immiſceas, ejuſdem coagulationem inhiberi; imo obſeruante Borello *de motu animal.* a ſpiritibus ſalis armoniaci, Cornu Cervi, & hujuſce farinę aliis in venas animalium infuſis tantam ſanguinis rarefactionem promoveri, ut animalia furioſa facta, ſi hæmorrhagia aliqua non ſuccedat, cito moriantur; e contra vero ab inſtillatis acidis ſalibus ſanguinem in grumos concreſcere, ita ut adnotante Kerckringio, *Spicil. Anat. obſ.* 73. ſi cani vivo vena ſecta ſpiri-

tus

tus acidi infundantur, coaguletur ſtatim ſanguis, ac pſeudo-polypos efformet; grumos vero ſanguinis adhuc magis inſpiſſari, & cruſta quaſi ſuperinductos obdurefcere; uti, & ſerum ipſum a ſpiritibus vitrioli, ſalis, nitri immixtis in denſam, ac caſeoſam ſubſtantiam, monente Helzotio *inf. cu. p.* 81. concreſcere. Cur ergo, ſi polypoſa excreſcentia craſſioris ſanguinis fibroſum eſt ſedimentum, cur, inquam, repetito alkalicorum uſu, ejuſdem aliqualem extenuationem intentare, inutile eſſet conſilium? Multo magis, quod citra ſenſibilem alterationem ab alkalicorum ſoliditate enervatis corpuſculis, quibus ſanguis condenſatur, eidem vividiores fluxus conciliari, ſeri, & lymphæ coagulationes reſolvi, terreæque, ac ſalinæ concretiones, earumdem oleoſo glutine abſterſo, diffringi poſſunt; ita ut, cujuſcunque etiam generis ſuppoſita excreſcentia foret, ab Alkalicorum viribus, nonniſi ſtrenuiſſimam opem referre poteris acceptam. Quod ſi neque ab his integre abſolvatur diſſolutio, extenuatis tamen

ſanguinis

sanguinis lentoribus, exaltatoque ejusdem motu intestino, ipsa quoque liquidorum circumvolutio promovebitur, nec ita facile circa obstructas partes concrescent; unde inhibebitur saltem infarctus incrementum, novaque polyporum soboles; neque palpitationis, aut suffocationis exacerbationes tam crebras, vel ita sęvas feres. Hinc fortasse polypodes concretio ita obdurescere posset, aut exsiccari, ut pleniori sanguinis rivo aditus recluderetur; vel canali per medium aperto, uti aliquando contigisse, testatur Malpighius, *dis. de poly.* novus interfluētibus liquidis commeatus strueretur.

XLVI. In hunc quoque scopum videtur collimasse Galenus, 5. *de loc. aff. cap.* 2. dum atulit, eos palpitatione liberatos fuisse, *qui post sanguinis missionem usi sunt victu, & medicamentis, quibus esset extenuandi facultas.* Sed cum extenuantium qualitatem non subjungat Galenus, crederem, non acida, aut spirituosa intellexisse; cum hæc, etsi sanguinis calorem adaugeant, ejusdem tamen spissitudinem non amovent;

uti

uti patet in ſpiritibus vinoſis, qui fluentem ſanguinem in grumos coagulant, ac hæmorrhagias non ſecus, ac liquores ſtyptici ſedant; illa vero, etſi effervescentiam compeſcant, coagulationem tamen denſiorem ſollicitant; utique vero Alkalica, & lixiviosa, imo ſalino-volatilia, oleoſa, videtur, inſinuaſſe libro de tremore, & palpitatione, *cap.* 4. ubi ex mente Veterum medicamenta e caſtoreo confecta recenſet: *utpote quæ calefacere ſimul, & extenuare, & exſiccare abunde poſſunt*; a quibus ſi nimiam ſanguinis effervescentiam, ac rarefactionem pertimeſceres, tibi ſcrupulum omnem dement alkalica fixa, aut volatilia, quæ non acutis, aut irritantibus particulis inſtructa ſunt, ut fluidorum maſſam nimis atterere, ac ſolidas partes ſtimulare valeant; ſed congrua quadam particularum modificatione gaudent, ad excuneanda corpuſcula acida dicta, quæ intra ſanguinis, & lymphæ minima intercepta, eorumdem fluiditatem retardant. Hujuſmodi autem ſunt cardiaca fere omnia temperata

perata dicta, bezoardica tam animalia, quam mineralia, cruſtacea, & teſtacea omnia, nitroſa ſalia, & urinoſa, volatilia, vel fixa, quorum eclexim, & formulas, utpote tibi famegeratiſſimas, ſubjungere, ſupervacaneum puto.

XLVII. Non diſſimili modo Williſio *phar. rat. ſect. 6. cap.* 3. quando polypoſæ concretionis in corde, vel arteriis ſuſpicio eſt, maxime ex ulu fore videntur medicamina ſalina, *& ex iis ſale volatili, aut acido prædita exhibenda, eadem vero non ſimul, ſed quodam temporis ſpatio hęc (quibus non in vantibns) deinde iſtæc altera experiri, oportet.* Acida enim acriora, etſi fluidiorem ſanguinem videantur coagulare, eumdem tamen coagulatum diſſolvunt: quod in grumis ſanguinis ab acidis ſpiritibus condenſatis comprobatur, qui ab iiſdem acidis uberius affuſis extenuantur.

XLVIII. Nec ea improbarem, quæ duros, ac Scyrroſos tumores emollire, teſtatur Fallopius, *lib. de mor. gal. cap.* 63. 68. quæve pulmonum Phymata extenuaſſe, tradit

Zacu-

Zacutus Luſitanus *Prax. admi. lib.* 10. *obſ.* 103 Petri Salii exemplo; ſmilacem ſcilicet aſperam, radicem Chinæ, Saſſafras, eburem, ac ſpiritum ſalis armoniaci cum gummi ammoniaco deſtilatum; cujus uſum Comitem Franciſcum Jonam iſtius Archilycei Medicæ praxis Primarium Profeſſorem, Pluriumque Italiæ Principum Archiatrum conſultiſſimum, ad ſolidam cauſam ſpiritalibus partibus infixam extenuandam, tibi præcepiſſe, peraudio; additis etiam anti-aſthmaticis validioribus, quæ pariter ad levium arteriarum infarctus recludendos Galenus *de loc. aff.* 4. *cap.* 8. Antipatro conſulebat: Quam etiam polypoſam concretionem mercurialibus aliquandiu repetitis medicamentis, uti nativa cinnabari, mercurio diaphoretico, vel ejuſdem ſpiritu ſimplici ſecundum canones M. de la Feboure *Chap. de la deſtil. du mercu.* deſtillato, aliquando reſolvi poſſe, vis penetrativa mercurii, tumorum fere omnium, ac calloſitatum univerſale quaſi menſtruum, tibi forſitan ſuadebit.

XLIX. Hiſce tamen adjunctum ſudorem, extrinſeco quocumque irritamento promotum, haud tibi conſulerem. Satſiquidem virium diſpendio, & vitæ diſcrimine Hypocauſti noxam expertus es; cum ab illius incaleſcentia exhauſta ſerroſitate, & Lympha, craſſior ſanguis evaſerit, & violenta rarefactione in cor, & arteriam impulſus, ſedatoque caloris impetu, magis in iiſdem lenteſcens infarctus adauxerit.

L. Quotieſcunque vero, aut valida palpitatio, aut Ortopnæa recrudeſcit, nullum magis præſentaneum remedium, quam phlæbotomiam, uti praxis ipſa oſtendit, ita ratio corroborat. Minorata ſiquidem fluidorum maſſa, nimium diſtenta relaxantur vaſa, exilioremque rivum per obſtructas partes vehunt, ſtagnantes ſucci fluidiores fiunt, impactique in parte affecta dimoventur. Ita Celſus *lib.* 4. *cap.* 4. in difficultate reſpirationis auxilium eſſe, niſi aliquid prohibeat, in venæ ſectione, præcepit: ac Galenus *com. de rat. vict. in acut.* ſyncopes a coaleſcente ſanguine intra venas phlæbo-

tomia

tomia præcaveri; omneſque a cauſa calida palpitatione laborantes ſanguinis miſſionem juviſſe, nos docuit; ſicque mulier illa Riverii *cent.* 4. *obſ.* 21. a venę ſectione iterata meliuſcule habebat. Nec te pulſus obſcuritas, viriumque imbecillitas a phlæbotomiæ neceſſitate detorqueant; nam hæc opprimuntur, ſuffocanturque, atque ille conſtringitur, atque intercipitur. Neque ex frequenti ſanguinis diſpendio hydropem timeas; nam antequam hoc corripiaris affectu, niſi permanens inęqualis pulſus cauſa evellatur, vel retundatur, in ipſa exacerbatione in immaturam ſyncopem, aut ſuffocationem incides. Imo Hydrope etiam invaleſcente Hyppocratis conſilio, *lib. de vict. rat. in acu.* reſpirationis difficultati phlæbotomia occurret. Ille enim Hydropicis reſpirandi difficultate detentis, ac ſi tempus æſtivum ſit, vigeat æger, ſanguinem e brachio detrahit.

LI. Catharſim vel nullam, vel levem admodum ex lenientibus potius, quam acribus, & irritantibus, commendarem; utpo-

te ad infimi ventris ſaburram eliminandam, præcipitata ab uſu alkalicorum recrementa educenda ſatis apta; cum acriora Catharica ſeroſitatem, & lympham diluentes ſanguinem nimium ſollicitent, & concretiones membranoſas irritent potius, quàm ſolvant. Eodem pacto Hippocrates *lib. de affect.* ac Mar. 1. *de rat. vict.* 4. in lienoſis catharſim damnat; cum indurata, & concreta materia nequeat pharmaco educi; eaque tantum præſcribunt, quæ diuretica ſunt, & inſenſibiliter lienem emolliunt, ac extenuant.

LII. Ab Hypnoticis, & paregoricis nonniſi levamen comperies, a quibus ſi non morbi, ſaltem ſymptomatum ſævities retundetur. Memini enim, me plures Aſthmaticos inſultus, & graves palpitationes laudano liquido ſedaſſe; quod me famigeratiſſimi Williſius *phar. rat. ſect.* 3. *cap.* 3. Sydhenam, Charleton *tract. de ſcorb.* docuerunt; qui, cauſa non amovibili, levamen quoddam per Hypnotica ſubinde procurãt, ut ſaltem ægrotantium vita, etſi miſera, paulo diutius protrahatur.

LIII.

LIII. Aſt facile eſt, detecta affectus natura juvantia, & lædentia eruere: Quapropter ſolertiſſimo viro plura non addam, proneſus Minervam. Ita tantum accipies (Profeſſor Illuſtriſſime) quæ mihi vota potius pro tua ſoſpitate, quam Technyca eruditio, dictarunt. Voveam, me doctiſſimorum aſſidentium ingenia ad latentis morbi recludendam indolem excitaſſe, ut ſaltem hoc medio aliquam tibi attuliſſe opem, viderer. Nec me a recta conjiciendi ratione defeciſſe pudebit, dummodo ab aliorum judiciis meę dilucidatæ hallucinationes in tui utilitatem redundarent; quã tibi largiri bonorum omniũ Datorem, communi litterarum emolumento, ex animo peropto. Vale.

LIV. Ab aceptis litteris, in dies ingraveſcente magis Diſpnæa, Ortopnoicus tandem omnino factus, triclinio affixus diem, noctemque tranſigebat. Pedes ædematoſo tumore inflari cæperunt, non levi plurium conjectura, & ſpe, aquarum in ſpiritalibus partibus exundantium illam fore ſalutarem metaſtaſim; ſed nullo levamine;

Cum hinc etiam neglecto, ac damnato quocumquealio remediorum apparatu, alternis tantũ ex oxymellite, manna, & oleo amygdalarum dulcium potiunculis glisicentis hydropis metum arceri, recrementaque pituitosa expectorari, consuleretur; donec Ortopnæa ad extremum deducta, assiduis vigiliis, crebrisque suffocationibus, atque intra horæ spatium vigintiquatuor sævissimi symptomatis insultibus lacessitus, post primam ab assumpto pharmaco dejectionem, frigido pectoris, vultusque sudore, livoreque, sexto idus octobris ad meridiem Apnoicus, sive exolutus succubuerit.

LV. Nobis statim aperiendi Cadavera Domesticis demandatur munus; quod, convocatis pluribus Medicis, ut omnis excogitati eventus nota deleretur, theatrali quasi pompa aggredi libuit. Nec minori spectaculo subjiciendum erat insigne Cadaver, quod vivens litterarius Orbis adoraverat; ac decebat Virum, qui publico litterarum commodo tandiu indulsit, inutili etiam spolio utile exemplum Phyliatris publice delegare.

Cum

LVI. Cum ergo ſpiritalibus partibus ſedes morbi ab omnibus adſcriberetur, in earundem examen ſeduliorem operam impendimus. Primo itaque diducto ſterno, nulla aquarum eluvies in Thoracis cavitate viſa eſt; ſolummodo dexter Pulmonum lobus a ſterno ad vertebras uſque valida membranula Pleuræ adnatus erat. Hinc producta ſectione, perluſtratis infimi ventris viſceribus, nulla labes, præter Jecur tetro quodam rubore ſuffuſum, cyſtim felleam collapſam, bile ſemioppletam, lienque potius extenuatum, emicuit. Spiritalibus ergo viſceribus exemptis, pertractato Pulmone, in nullam tenſionem, duritiem, vel conſiſtentiæ inæqualitatem impigimus; & diverſimode diſſecto, ab interna ſubſtãtia nil, præter condenſatum cruorem, effluebat; nulla vomica, vel tuberculo enitente, nulla phlegmatis maſſa intra bronchiales fiſtulas intercepta. Verum ad Cor accedentes Arteriã magnam ita dilatatam offendimus, (*Vide fig. I.*) ut aliud cor in pericardio concluſum æmularetur; cum

etiam tunica dissecta corpus cordi in... erveretur. Hujus tamen textura diligentius examinata, polypolam esse concretionem, comperimus. Excedebat namque (*fig. II.*) anserini ovi grandioris magnitudinem, trium, quatuorve unciarum pondus exequans, figura cardui cinaræ fructui haud dissimilis, tendinosis principiis, brevibusque productionibus, Aortæ radicibus supra semilunares valvulas innixa basi; deinde latiori ventre soluto in serratum, vel laciniatum apicem desinens, ad divaricationem usque arteriæ porrigebatur; haud tamen Aortæ parietibus quasi cartilagineis ita coaptata erat, quin relictis rimulis, quædam liquidi quantitas non interflueret. Substantia atram ferens rubedinem, spongiosa, seu fungosa potius percipiebatur, quæ (*fig. III.*) in viginti amplius cortices, sive laminas membranosas distincta, glomum involutarum membranarum referrebat. Exterior cortex durior, & tuberosus erat, ex fibrarum fasciculis prosilientibus, & in nodos quosdam collectis. Interiores

vero

vero fere undique ſimiles tortuoſum, ſeu anfractuoſum ductum, Aortæ dilatatæ diametro ſubtriplum, mollibus columnulis ſanguine turgidis, & ſinuoſis flexibus interpoſitis, uti cordis interiores parietes, variegatum, levique muco oblinitum, & grumis ſanguinis infarctum exibebant, qui intra Aortæ cavitatem alteram arteriam efformabat. Denſior textura, & quaſi cartilaginea ad baſim erat, ſenſim, ac ſenſim gracileſcens, quo uſque ad apicem friabilis ferme evaderet. Unum tantum fibrarum genus microſcopio etiam deteximus, a baſi ad apicem oblique, & ſpiraliter quaſi excurrens, inordinato tamen, & interrupto ductu a tendinoſis quibuſdam vinculis, ſeu filamentis, quæ fibras in membranulas extenſas ita colligabant, ut braſicę capitatæ folia repreſentarent, intermixtis pluribus poroſitatibus, ſeu alveolis ichore ſanguineo refertis. Hinc, apertis cordis ſinibus, dexter inanis erat; ſiniſter grumis ſanguinis infarciebatur, polypoſis rudimentis intra colũnas tendinoſis radicibus inſertis,

a qui-

a quibus haud ſine laceratione divellebantur. Siniſtra avricula ita coagulato ſanguine replebatur, ut ſeroſitas ipſa immixta ſecederet. Pericardium nec flatu, nec aqua diſtentum erat, imo exhauſtum conſpeximus.

FIGURA I.

Siniſtrum cordis ventriculum apertum, una cum Aorta dilatata, repræſentat.

A. A. A. A. Ventriculi ſiniſtri Cordis aperti margines ab invicem dimoti.

B. B. B. B. Aortæ apertæ dilatatio.

C. C. Oſtium arteriæ utriuſque Coronariæ.

2. 2. 2. Valvulæ tres ſemilunares.

a.a.a.a.a.a.a.a. Columnæ carneæ, quibus rudimenta polypoſa inſerebantur.

FIGURA II.

Polypum integrum primo cortice indutum, ac denudatum oſtendit.

A. A. Apex polypi.

B. B. Baſis polypi.

C. Oſtium polypi ductus.

a.a.a.a.a.a.a. Breviſſimæ productiones ab Aortæ radicibus evulſæ.

c.c.c.c. Pars cortice primo induta.

e.e.e e. Secundus cortex, cui reliqui ſimiles viſi ſunt.

2.2.2.2. Fibrillarum cortices componentium ſeries.

3.3.3.3. Filamenta fibrillas colligantia.

FIGURA III.

Polypi diſſecti, & explanati meditullium exhibet.

A.A.A.A. Polypi diſſecti, & explicati margines in plures cortices ad invicem ſuperimpoſitos diſtincti.

B. B. Polypi ductus explicatus.

a.a.a.a.a.a.a.a. Columnulæ, ſeu excreſcentiæ variiformes polypi ductum undique infarcientes.

Ita

LVII. Ita morbi cauſa, ac ſede detectis Plures, qui de pectoris Hydrope, atque Aſthmate humoroſo acriter contendebant, demiſſo vultu ruborem obvelarunt. Nemo quidem de hujuſmodi concretione vel leviter excogitaverat, præter Epiſtolæ Auctorem, qui eam articulo XXXII. graphice quaſi delineaverat; cujus inſertioni, propagationi, atque indoli deſcriptis, ſi magnitudinem, figuram, texturæ modum, cæteraſque qualitates cultro denudatas adjeciſſet, præſagium potius, quam ratiocinium videretur. Fuit tamen Sphygmicæ artis vaticinium, quod non ludricis, ſed demonſtrativis innititur argumentis. Ex pulſus namque conſtanti inæqualitate fixam cauſam cum Galeno ad Antipatrum deduxit; cujus exinde locum, ac genium per cœtera conjuncta, & conſectaria phænomena analytico artificio indagavit.

LVIII. Hanc vero concretionem, Aortæ polypum libuit appellare, duplici methaphora, vel analogia ad piſcem Polypum, & narium Sarcoma, polypum dictum

ctum ; quia , ſicuti & cordis polypus, eorundem texturam, ac ſubſtantiæ modum mentitur. Non diſſimili ratione narium Sarcoma , tumor ſcilicet præter naturam carnoſus, polypi etymo a Galeno 2. *meth. cap.* 5. *&* 3. *de comp. med. ſect.* 50. *cap.* 3. Aetio *lib.* 6. *cap.* 9. & Ægineta *cap.* 25. *lib.* 6. inſignitus fuit, ob opificium, quo ad coloris, texturæ, ac propaginis modum maritimo Polypo aſſimile. Ille enim caruncula eſt mollis, modo albida, ac modo ſubrubra, ac multipes, polyporum inſtar nonnunquam extenſionem, nonnunquam vero contractionem quamdam recipiens, auſtro, aut euro flante Celſi teſtimonio *lib.* 6. *cap.* 8. intumeſcens: quæ proprietates, cum in quibuſdam concretionibus Cordis, Aortæ, aliiſque vaſis adnatis reperiantur, ipſæ quoque polypi nomine jure connotantur.

LIX. Morbi quidem ſpecies nomine nova, ſed non re; cum ſuperioris ævi Scriptores hujuſmodi excreſcentias in corde, & arteriis, aliiſque partibus paſſim graſſantes obſervaverint quidem, ſed earundem vel le-

viter

viter tantum examinata natura, vel ad vulgares polypos neglecta analogia, alio termino expoſuerunt. Eas fortaſſe in corde repertas pituitam albam appellabat Severinus, Benivenius *de abd. mo. pag.* 33. fruſtulum nigrioris carnis ſiniſtro ventriculo inſertum, tuberculi nomine indigitavit. Grumos ſanguinis vocabat Panarolus *Pent.* 2. *obſ.* 3 Fruſta pituitoſa, & carnea a Spigelio *lib.* 2. *de feb. tert.* & Riolano dicta ſunt. Weſſalius *lib.* 5. *An.* 1. Schenchius *lib.* 22. Riverius *cent.* 2. *obſ.* 77. ſubſtantiam carnoſam, carneam molem, ac excreſcentiam carnoſam nuncuparunt. Rhodius *cent.* 3. *obſ.* 4. e dextra cordis avricula eruti folliculi meminit. Wormius *epiſt. med. Bart. cent.* 1. *ep.* 4. aliquando carunculas, aliquando vero pinguedinem, ſeu mucum eſſe, indicabat.

LX. Bartholettus tamen *meth. de diff. r ſp.* 4. *cap.* 3. cum hujuſmodi concretiones in Cadaverum ſectionibus ſæpe reperiiſſet; quæ, cum prorſus carunculas illas pituitoſas, ſubalbidas, nareſque obſtruentes, polypos dictas, æmularentur, primus forte omnium

poly-

polypodes dicere, ausus est; qua nomenclatura Pissinio, Tulpio, Bartholino, Malpighio, atque aliis merito arridente, easdem uno ore polypos cordis indigitarunt; surgente tamen vocis etymo (uti Tulpius *lib. 1. obs. med. cap.* 27. admonet) aliquatenus quidem e pedum frequentia, sed potissimum a formę, ac materiæ similitudine Quamobrem Malpighius *disse. de poly.* eas etiam concretiones polypos vocat, licet multiplicibus, & oblongatis pedibus cordis ventriculos, & adjacentium vasorum cavitates haud obsideant. Ac Pissinius *epist. de poly.* frustula in placentulę morem compressa, quę ferme totam ventriculorum capacitatem replebant, pro polypis cordis designabat.

LXI. Cum vero, quo ad colorem, substantiæ modum, magnitudinem, insertionem, germinationem, aliasque modificationes inter se plurimum differant Cordis polypi, vix aliqua generalis proprietas ad eorumdem determinandam naturam colligi potest, nisi ad comunem illam structu-

ram,

ram, quam polypodibus excrefentiis particularem esse, testatur nunquam sat commendatus Malpighius, reducantur. Qui enim in dextero cordis ventriculo progerminant, subalbidum ferunt colorem; in sinistro vero atram obtinent rubedinem, plerique omnimode sarcomatosi sunt; multi membrana involuti substantiam pituitosam, & limosam nacti sunt; ac Tulpio teste *obs. med. lib.* 1. *cap* 27. concretam pituitam inclusam membranaceo involucro repræsentant. Aliquando informis massæ, ac placentæ modo ventriculis cordis tantum inhærent; quandoque per vasa ita proserpunt tradente Bartoletto *Met. diff. resp.* 4. *cap.* 11. ut ad vasorum divisiones ramosi & ipsi facti divaricentur: imo Schenchius *obs. med. lib.* 11. e dextero cordis sinu per venam cavam propagatos usque ad caput, & os sacrum aliquando fuisse, tradit.

LXII. Omnes tamen, si diligentius examinetur, congeriem superpositarum extensarumque pellicularum, diversimode figuratam, variisque divaricatam propaginibus,

bus, tendinosis, ac nervis radicibus, cordis, aut vasorum parietibus additamenti modo insertam, nullum facile liquabilem concretum succum includentem, videbantur prefefere. Quo pacto a Sarcomate, Scyrrhosis, ac folliculosis tumoribus distinguuntur, qui ipsarummet membranarum solidas partes componentium extuberantiæ sunt, humorosis concretionibus distentæ; & a grumis coalescentis sanguinis diversificantur, qui simpliciorem texturam ferentes, Polypis tamen similem, Pseudopolypi a Kerckringio *Specil. Anat. obs.* 73. dicuntur. E pluribus enim Cadaveribus refrigerati, & condensati sanguinis intra vasorum divarications, ac tortuositates diversimode configuratæ concretiones quandoque extrahuntur, quæ polypos prima facie mentiri videntur; Sed membranosæ omnino non sunt, uti veræ polypodes concretiones, & vulgares etiam polypi; qui licet, Bartoletto adnotante, carnosi videantur, omnes tamen in plures membranas resolvuntur. Hinc ablata quacunque æquivocatione, illas Cor-

dis,

dis, vel vaſorum polypodes excreſcentias nuncupari, æquum erit; quæ licet polypiformes ſecundum omnes polypi vulgaris proprietates non ſint, cum hoc tamen generico polyporum Mechaniſmo conveniunt.

LXIII. Nunc ergo delineatæ Aortæ concretioni, in tot membranas diſtinctæ, etſi pedibus, ac Cirris careat, quis polypi homonymiam denegabit? duplici etiam analogia ad Maritimum Polypum mutilatum ab Appiano *ref. Piſſt. epiſt. de poly.* deſcriptum, & ad ſecundam vulgaris polypi ſpeciem, quam Hyppocrates (*lib. 2. de mor. ſec. 5.*) carnem rotundam, & ad contactum mollem, longam, & tenuem vocat; nec amplius cum Kerckringio *obſ. Anat. 73.* dubitabunt plures, legitimos Cordis, & Aortæ Polypos adfuiſſe vivis; quin imo ejuſdem redargutiones in accuratiſſimam Tulpii & Bartholini Solertiam, quod in polyporum enarratione fuerit hallucinata, in ipſius conjecturas ſint retorquendæ.

LXIV. Morbum quidem, uti nec nomine, nec re, ita nec eventu novum, quilibet

vel ſuperficietenus Neotericorum monumentis evolutis, eſſe, comperiet. Huic etenim non diſſimilis polypi ex obſervationibus ſibi communicatis a Borello meminit Malpighius. In Aorta prope cor (ſcribit ipſe) *qnę in tumorem excreverat ad menſuram duorum pugnorum, Polypus conſimilis magnitudinis repertus eſt, abſque appendicibus, & caudis; ejus autem moles membranoſis tunicis ad invicem ſuperpoſitis abſque continuitate conſurgebat, quæ craſſitie non ſuperabat vulgarem chartam hędinam &c.* Bartholinus *Cent.* 2. *Epiſ. Med.* 94. quoque a ventriculo ſiniſtro in arteriam Aortam juſto ampliorem ad octo digitos excurrentem in Cardinali Meltio Romę viſum fuiſſe Polypum; & *cent.* 4. *ep.* 11. ab utroque cordis ventriculo ad minimum uncias quatuor ponderantem polypum extractum fuiſſe, teſtatur. Cujus etiam naturæ Sarcoſica illa involucra fuiſſe, putarem; quibus cor cum Aortico aneuriſmate farciminatum fuiſſe, Academici naturæ Curioſi *Eph.* 1. *obſ.* 18. adnotarunt.

LXV. Hujus vero eleganti ſpectata ſtructura

ctura, non minorem naturæ industriam esse in morbosis tumoribus concinnandis, quam in organicarum partium educendis staminibus, fateri oportet; vixque opinabile esset, cęca corpusculorum combinatione mirum hoc opificium exorditum fuisse, nisi elegantiores concretiones, natura, vel arte occasionantibus, sola materiæ necessitate efformatæ vim omnem architectonicam excluderent. Argentea enim ramenta in vitrea phiala spiritu nitri dissoluta, addita aquæ fontis, & Mercurii currentis certa proportione, in fruticem, quem metallicum dicunt, sola innatantium corpusculorum figura, gravitate, ac mole disponente, concrescunt. Eodem modo in lixiviis e quarundam plantarum cineribus confectis salina quædam corpuscula, in ejusdem vegetabilis calcinati speciem frigore condensantur; pluraque concrementa lapidea in vesica tam urinaria, quam fellea, non secus, ac bezoardici lapides e caprarum ventriculis in India orientali eruti, in plures cortices distincta passim occurrunt.

LXVI. Cum tamen ejuſdem mechaniſmum ſerius perpendo, mihi, plantę caracterem quemdam exhibere ad unguem, videtur. Involutas ſiquidem membranulas, dum fibrillis, ac filamentis hinc inde irretitis capitatæ braſice folia æmulantur, eodem quaſi inſito principio, aut ſaltem methodo vegetari, organorum analogia ſuadet. Quapropter non abs re eſſet, putare, ad intimas Aortæ aſperitates, qua cordi appenditur, vel ad valvularum ſemilunarium margines prima polypi ſtamina, ex plurium fibrillarum faſciculis a fibroſo sãguinis craſſamento depromptis confecta, tamquam radices inſerta, cum tubuloſa, & poroſa ſint omnia, etſi nudis oculis impervia appareant, ab interfluentibus ſuccis jugiter irrigata, plantarum ritu, in inſignem hanc molem extuberaſſe. Huic etiam conjecturæ polypodis ſubſtantiæ inæqualitas vim addit; quæ cum ad baſim durior, ac denſior, ad apicem vero mollior percepta ſit, non ſecus ac vegetabilium caudices, vel caules, ſurculis, ac gemmis ſolidiores, iiſdem nutritium ſuccum e radi-

radicibus derivatum ſuppeditant; ab ea parte, radicum vices gerente, particulis alimentitiis primo eluctatis, & ſucceſſive contextis, Polypoſam plantam incrementa aſſumpſiſſe, conjicitur. Liquida namque intra primas illas fibrillas intercepta, ab arteriæ contractionibus, & ſanguine e ſinu cordis erumpente, comprimentibus expreſſa, ob nimiam cohæſionem cum penitus deturbari haud potuerint, ſenſim ac ſenſim ad tubulorum extremitates accreſcentia, in membranulas extenſa ſunt. Hinc grandioris molis polypus factus continentem Aortam intra radicem, & divaricationem ejuſdem, ob validiores inibi impetus ab urgente ſanguine exercitos, ita diſtendit, ut dilatationi congruam figuram, ac magnitudinem acquiſierit; ſingulari ſane eventu, cum in ea parte, in qua validiores contractiones exercentur, plenoque gurgite erumpentis ſanguinis impetus vividiores eccipiuntur, prima polypi ſtamina tantam reſiſtentiam obtinuiſſe, quin a liquidorum præterfluentium torrente direpta non fuerint, haud ſine admiratione concipi poſſit.

Ex-

LXVII. Ex his, plurium menſium, ne dicam annorum fuiſſe hoc opus, deducitur. Etſi enim ſanguis intra cordis ſinus, vel vaſorum cavitates brevi temporis ſpatio concreſcere poſſit, uti ſæpe polypodes concretiones in quibuſdam febribus, inflammatoriis affectibus, aut certis annorum conſtitutionibus, fortaſſe intra breves acuti morbi terminos elaborari, contingit; attamen dilatari Aortæ tunicas, & cartilagineas plane fieri, polypiformem ſubſtantiam in plures, ac duras membranas concinnari, & late porrigi, longioris temporis laborem eſſe, contenderem; in hoc fortaſſe a maritimi Polypi natura diſcedens, quod ultra bimatum vitæ ſpatium extenderit.

LXVIII. Cum vero vitium hoc inter initia, imo grandiori jam facto, vix ulla ſui, vel communiſſima tantum cum cæteris morbis indicia præbeat; a quonam tempore prima Polypi ſtamina fuerint exordita, vix datur conjecturæ locus; a quo tamen Clariſſimus Vir pulſus inæqualitate corripi cæpit, eumdem ad ſenſibilem aliquam molem perveniſſe;

niſſe; cui Dyſpnæa, ac cardiacis affectibus ſuccedentibus, tunc de inſigniori magnitudine haud dubitandum erat. Inæqualitatem quippe pulſus hujuſce morbi ſyllogiſticum ſignum eſſe, arbitrarer, præſertim cum, deficientibus aliis indiciis, quibus morbi cũ eodem pulſus Rhythmo affines dignoſci ſolent, aſſiduo laborem infert. Quotieſcunque enim Arteria magna compreſſili concretione haud penitus occluditur, pro ut magis, vel minus cordis conſtrictiones, ſanguiſque erumpens in ipſam impetum faciunt, plus minus recluſa, inæqualem ſanguinis rivum transferens, huic etiam proportionales arteriarum diſtenſiones conſtituit; at ſi Cordis anguſtia, trèmor, ac palpitatio, & dyſpnæa pulſus inæqualitati adjiciantur, quia innuitur ſiniſtrum ventriculum vel non exonerari in Aortam, vel refluum ſanguinem e vena pulmonica non exhauriri; de polypi inſigni magnitudine intra Aortam, vel de eodem ſiniſtrum etiam ſinum infarciente, certum judicium ferri poterit.

Quod

LXIX. Quod ſi in hoc caſu tunc tantum polypus detectus fuerit, cum jam, altioribus actis radicibus, nulla arte deturbari poterat, haud deerat tamen alicujus tentaminis opportunitas, a ſpecificis diſſolventibus in epiſtola enucleatis deſſumpta; quibus ſaltem ejuſdem porrectio ad totalem arteriæ obſtructionem, vel ſanguinis ſucceſſiva concretio, aut recens polyporum ſoboles in ſiniſtro ventriculo inhiberetur; a quibus fortaſſe magis intercepto ſanguinis commeatu, quam ab Aortę polypo, qui canali per medium aperto, ſat olei, ad vitæ flammam adhuc perennandam, trajiciebat; immatura ſuffocatio prevaluit.

F I N I S.

BRIXIÆ,

In Typographia Jacobi Turlini.

B.
B.
B.
C.
A.
2.

Figura Prima.







Figura ii.












PUVE 009441 SPA 1058



Pagina

Figura 3.





A.

STRANGURIA,

QUÆ

VENEREA DICITUR,

MERCURII ALIQUANDO ESSE

POTEST EFFECTUS.

OBSERVATIONES

ID PROBANTES EDITÆ

A B

ANTONIO AGUSTINI M. D.



VENETIIS

MDCCLXIII.

TYPIS ANTONII ZATTA.

SUPERIORUM PERMISSU.

PUVE 009441 SPA 1058

VIRO NOBILI

DOCTRINA, ERUDITIONE, MORUM INTEGRITATE, ATQUE OMNIUM VIRTUTUM GENERE QUAM MAXIME SPECTABILI; PUBLICO PRIMARIO MEDICINÆ PRACTICÆ PROFESSORI ATQUE OPTIMO PRÆCEPTORI SUO

COMITI JACOBO SCOOLO

OBSERVATIONES HASCE DICAT

AUCTOR.

Aussæ illæ, quarum singulæ auctorem possunt impellere, ut opus suum ad virum aliquem instituat, eæ omnes movent me, ut observationes has tibi dem, atque commendem. Scriptores enim, aut

ideo libros ſuos magno alicui viro inſcribunt, ut eos ab invidorum, & malignorum hominum dicacitate defendant; aut ideo ut publicum grati animi teſtimonium præbeant illi, cui plurimum debent; aut denique, ut virum illum ſibi devinciant, qui in ſcientia, vel arte, de qua ſcribunt, maxime excellit; & qui ad eos magis inſtruendos, atque erudiendos aptior eſt. Ego autem argumentis his omnibus compulſus pagellas baſce tibi inſcribo. Si enim Patronus mihi quærendus eſt, quinam te validior? qui ſola celebritate nominis tui ab invidia tueri me facile potes: Si vero ille appellandus cui plurimum debeo, ego a te ſummis fui cumulatus beneficiis, cum nitido, & eleganti ſermone optima artis Apollineæ præcepta mihi tradidiſti. Denique ſi res meas illi commendare debeo,

qui

qui ſummus in Medica facultate Magiſter ſit, te Medicorum Principem eſſe extra omnem controverſiam eſt. Cum enim anno elapſo ampliſſimi illi viri, quibus Dei Immortalis Providentia Patavini Gymnaſii regimen commiſſum fuit, te ad primam Medicinæ practicæ cathedram evexere, judicio omnibus verendo decretum fuit te ſummum eſſe in Medicina magiſtrum. Teſtificatio autem libera, & grata ægrorum illorum, qui tuam poſcentes opem Patavium undique confluunt, quam ſalutaria ſint conſilia tua dum medicinam facis, omnibus oſtendit. Oro igitur te, atque obſecro, ut tuo patrocinio tuearis quod tam multis de cauſſis tibi dicare debeo. Si parvum eſt ac exile, quod tibi offero; non levis tamen momenti res eſt illa, de qua in his pagellis agitur. Tuum erit, ſi qua in re hic deceptus

ſum, errores, ut olim faciebas, mihi detegere, veritatemque monſtrare; ne damnum afferat, quod, quia utile judicavi, publicum feci. Deus te ſoſpitet, ut Medicinæ alumnos optimis præceptis, ægros vero ſalutaribus conſiliis juvare poſſis.

DE

DE STRANGURIA, QUE VENEREA DICITUR.

HOmines, qui venerea lue ſæpe laboraverunt, pluresque Gonorrhæas virulentas paſſi ſunt, corripiuntur aliquando Stranguria, quæ valde contumax eſt; vix ullis cedit remediis; & in qua ægri frequentiſſimo ad mingendum ſollicitantur ſtimulo; ſed niſi poſt multa conamina aliquot lotii guttas poſſunt emittere.

Benevolus (1) Chirurgus celeber-

(1) *Nuova Propoſizione intorno la caruncula dell' Uretra.*

rimus asserit, se in omnibus Cadaveribus illorum, qui ab hoc morbo excruciati fuerunt, invenisse uretram ulceratam. Alii (1) vitia non multum dissimilia reperer un: nempe Carunculas, seu hypersarcoses, in quas ulcuscula fungosa uretræ abeunt; cicatrices duras, & callosas; verumontanum prætumidum; Prostatam duram callosam, aliaque his similia.

Nemo hodie dubitat, vitia hæc esse Gonorrhææ virulentæ effectus: liquor enim ille, qui in Gonorrhæa profluit, acris est; ideoque uretram irritando, inflammando, exedendo vitia hæc facillime inducit.

Hæc, quamvis evidentia putentur, tamen observationes aliquæ, quas de hoc morbo feci, longe ali-

(1) *Astruc. de morb. vener. pag. 294. Chir. Heister. tom. 2. Cap. de Carunc. uretræ. Confer etiam auctores ibidem citatos.*

aliter mihi videntur oſtendere.

Qui ſæpe venerea lue infectus fuit, pluresque Gonorrhæas virulentas paſſus eſt, quamvis Mercurii ope ſeminium venereum edomuerit; tamen habere ſolet partes illas, quæ Gonorrhææ ſedes fuerunt, laxas, ſpongioſas, cicatricibus duris, aut levibus etiam ulceribus obſitas.

Hæ partes, cum vitioſæ ſint, offenſis magis opportunæ eſſe debent: hinc, ſi in horum hominum corpore peccans aliquis humor adſit, facillime ad has partes defertur, eaſdemque magis lædit.

Si quis ex his ægris hydrargyro ſæpe uſus ſit; tunc in ejuſdem humoribus plures mercuriales atomi remanere ſolent. Has autem atomos ad uretram delatas contumacis Stranguriæ cauſam eſſe poſſe ob-

obſervationes meæ videntur oſtendere.

Has tamen antequam proferam, neceſſe eſt, ut pauca præmittam; ex quibus cognoſcetur, obſervationes haſce meas nec adeo novas, nec adeo paradoxas eſſe, ut quibuſdam videbuntur.

Ulricus Huttenus in Libro de curatione Morbi Gallici per adminiſtrationem *Ligni Guajaci* capit. 4. deſcribens mala illa maxima, quæ pati ſolebant illi, qui mercurialibus remediis abſque debito regimine inungebantur, ait, aliquos ex his mortuos eſſe, quia mejere non poterant. Dioſcorides (1) quoque ſcripſit, Mercurium eoſdem effectus gignere, ac Argenti ſpumam, quæ urinam ſiſtit, cujus ſententiam confirmat Matthio-

(1) *Diſcorſi del Mattioli ſopra Dioſcoride lib. 6. cap. XXVI. XXVII.*

thiolus. Si igitur Mercurius iſchuriam gignendi vim habet, quanto facilius Stranguria ab eodem originem ducere poterit?

Dioſcorides ſcripſit, Mercurium ſuo pondere interiora exedere. Plinius ait, vomicam liquoris æterni, ideſt Mercurium, venenum eſſe, rerum omnium vaſa omnia perrumpere, atque exedere. Ulcera, quæ tempore ſalivationis in ore, faucibus, palato, gingivis excitat Mercurius; & quæ aliquando profunda ſunt, & difficulter curantur, ſi paulo major Hydrargyri quantitas in vaſa intret, rodentem illius vim ſatis manifeſte indicant. Ergo ſi Hydrargyrum has partes ſanas ulcerandi facultatem habet; quanto facilius vitiatam uretram ulcerare poterit?

Sales Alkalini rodunt, & exulcerant corpus noſtrum; quamvis

iidem

iidem acidum edomando ulcera ab eodem nata ſanent. Plurima ſimilia exempla extant in Medicina. Incredibile igitur eſſe non debet, Mercurium uretram exedere poſſe, quia, ſeminium venereum expellendo, ulcera ab hoc genita conſolidat. Immo certum eſt idem Hydrargyrum humoribus mixtum, & ad fauces delatum eaſdem ulcerare; quamvis æque certum ſit, eumdem Mercurium ulcera etiam in faucibus a ſeminio venereo orta ſanare. Cur non idem in Uretra evenire poterit?

Dordonus (1) cum præpararet mercurialia medicamenta, ulceribus oris vexatus fuit. Ramazzinus (2) vidit juvenem inauratorem, qui ab exhalationibus Mercurii ſibi parum cavens, cachecti-

cum

(1) *Georg. Dordon. de morb. gallic. cur. tract. 2.*
(2) *De morb. artific. pag. 13.*

cum habitum contraxit, & cui graveolentia ulcera teterrimam saniem stillantia in ore suborta sunt. Hildanus (1) refert, cuidam mulieri, cum assideret in hypocausto marito, dum unguento ex mercurio inungeretur, ulcera superveniſſe in faucibus, aere illo mercuriali per os susceptø. Ego quoque novi juvenem, qui scabie laborans, leviſſime mercuriali unguento se unxit; & cui tamen & salivatio, & ulcus in faucibus ortum est. Falleretur ergo ille, qui putaret, ulcera illa, quæ tempore salivationis oriuntur, non pendere ab Hydrargyri vi; sed a saliva seminio acri venereo infecta. Hæc (2) enim ulcera etiam patiuntur illi, qui lue venerea non laborant si Mercurio utantur.

Do-

(1) *Cap. 1. obser. 98.*
(2) *Chimic. Lemer. cap. de Mercur.*

Dominus de Jusseu (1) observavit eos, qui ab exhalationibus Mercurii sibi non cavent, pustulas per totum corpus sparsas pati. Hæ autem pustulæ irritantem Mercurii vim satis indicant. Dominus Moulin (2) injecit intra venam jugularem canis semiunciam Hydrargyri: tertia die canis correptus fuit tussicula sicca cum insigni difficultate spirandi, & morte inde subsequente. Dissecto cadavere reperit libram unam seri extravasati intra thoracem; extimum pulmonis latus pustulis plenum continentibus aliquid Mercurii, & saniei. Ex hoc quoque experimento, & pustulis inde natis eadem Mercurii rodens facultas demonstratur.

Suffimigia Mercurialia cuti applica-

(1) *Memorie dell' Accadem. Reale delle scienze Classe medica.*

(2) *Acta erudit. Lipsi. tom. 2. pag. 409.*

cata eoſdem fere effectus edunt, ac unctiones Mercuriales. Errant igitur *illi*, qui fatentur fumos Mercuriales rodendi vim habere; contendunt vero unctiones Mercuriales blandum eſſe, ac mite remedium. Hoc ipſum autem probat experimentum Domini Moulin ſupra propoſitum.

Hydrargyri natura immutabilis eſt; ſed apparentes ejuſdem qualitates haud difficulter mutantur. Nam Hydrargyrum, quod eſt corpus fluidiſſimum, in globulos figura ſphærica donatos diviſibile; quorum ſinguli in alias minores ſpherulas dividi poſſunt; & quod ideo habet figuram, quæ omnium minime ad irritandum, & rodendum apta eſt, facillime, ideſt ſolo concuſſu mecanico mutatur in pulverem nigrum, acrem, rodentem, mire corpus humanum tur-

bantem ; qui tamen pulvis nihil aliud eſt, niſi perſonatus Mercurius ; & qui facili negotio in fluidiſſimum Mercurium denuo mutatur . Ergo Hydrargyrum intra venas receptum , ad cor delatum, ab eodem in arterias pulſum, ab iiſdem repulſum, vario modo aſſidue agitatum, hanc rodendi qualitatem acquirere poterit.

Particulæ humorum noſtrorum ſi nimis graves ſint, gignunt Anaſtomoſim, Diapedeſim, Diæreſim in ſolidis partibus . Quoniam vero gravitas ſpecifica argenti vivi eſt ad gravitatem ſpecificam ſanguinis, ut 14. ad 1.; hinc Mercuriales atomi a corde in arterias pulſæ habebunt momentum, quod erit ad momentum globulorum ſanguinis , qui eodem tempore, & eadem velocitate in arterias pelluntur, ut 14. ad 1. Momen-

ta

ta enim corporum motorum ſunt in ratione compoſita ex pondere, & velocitate; ſive ut multi ex recentioribus mecanicis putant, ex pondere, & quadrato velocitatis. Poſitis velocitatibus æqualibus erunt uti pondera. Vis ergo quater decies major aget in tunicas vaſorum: facillime ergo rumpi, & lacerari poterunt. Scio doctiſſimum Vanſvvieren argumentis, quæ mihi validiſſima videntur, probare hac ſola vi non agere mercurium; ſed hæc innuere ego volui, ut monſtrem illis, qui in Mercurio nihil acris eſſe putant, & ejuſdem effectus a ſola ipſius gravitate pendere exiſtimant, eumdem tamen hac ſola vi ſolidas partes ulcerare poſſe.

Si Mercurii rodens facultas ſatis manifeſta alicui non videretur, ejus tamen vis nervis inimi-

ca ab eodem negari non deberet. Plurimæ enim extant observationes, quæ docent Hydrargyrum & paralyses, & epilepsias, & convulsiones excitasse. Ego quoque haberem aliquas, quas afferre hic possem, si res satis evidens non esset. Hæc autem sola vis sufficiens causa esse potest illius morbi, de quo hic loquimur. Nam, si Mercurius ad Vesicæ sphincterem, uretram, aut circumjacentes musculos deferatur, has partes irritando, convulsiones in iisdem excitare poterit. Ab his autem convulsionibus urina sistetur; acrior reddetur; uretra a prægressis gonorrhæis jam vitiata lædetur magis: hinc sensim ulcerari poterit.

Quoniam autem Mercurius habet partes duras, rigidas, graves, a particulis, quæ fluida Animalium com-

componunt, valde diverſas: Ergo ſi ab his particulis corpus noſtrum lædentibus morbus aliquis orietur, vix curari poterit. Nam particulæ hæ a viribus Machinæ noſtræ mutari non poſſunt. Liquet ergo Stranguriam, de qua verba nunc facimus, contumaciſſimam eſſe debere. Mercurius crudus ore aſſumptus ſæpiſſime per alvi vias tranſit, nec vaſa lactea intrat; idcirco non debemus exiſtimare corpus noſtrum lædendi vim non habere Mercurium, ſi abſque noxa etiam in magna quantitate aſſumitur aliquando. Nam contra obſervationes docent exiſtere quædam humana corpora, in quibus etiam levis Mercurii doſis magnos effectus edit; aut quia illorum cutis valde poroſa; ideoque magna Mercurii quantitas intrat in vaſa, dum idem cuti applicatur: aut quia in

his corporibus partes, quas magis lædit Mercurius, infirmiores sint, & offensis magis obnoxiæ: aut propter aliam quamcumque causam. Plurima alia afferre possem argumenta, quæ magis, quod supra proposui, probarent: sed hæc, opinor, sufficient. Reliquum est, ut observationes ipsas jam tradam.

OBSERVATIO PRIMA.

Vir quidam stranguria venerea laborans a me consilium petiit, ut se ab hoc morbo liberaret. Æger hic aliquam in urina emittenda difficultatem semper habebat; sed aliquando uretra adeo illi coarctabatur, ut nisi post multa conamina aliquot lotii guttæ effluerent. Tunc autem assiduo ad mingendum sollicitabatur stimulo. Si in hoc statu vena illi tundebatur, &

emol-

emollientia pubi, & perinæo applicabantur, aliquanto facilius fluebat lotium. Guttæ aliquot viſcidi puris exibant ex uretra, cum interfæmineum illi premebatur, ducto ab ano verſus glandem premente digito. A febre immunis erat; nec in reliquo hujus ægri corpore ullum aderat ſignum, quod veneream luem indicaret.

De hujus morbi origine Ægrum interrogavi: ille autem mihi narravit contumaciſſimam gonorrhæam, cum juvenis eſſet, contraxiſſe; a qua ut ſe liberaret, fruſtra plurima remedia a Chirurgis, Agyrtis, & circulatoribus propoſita adhibuiſſe: ex Medicorum conſilio Mercurio unctum: Cum autem ſalivatio nulla procederet, totum fere illius corpus, Mercuriali unguento tectum fuiſſe. Exinde fere ceſſaverat gonorrhæa; niſi quod

aliquando guttæ aliquot viſcidi puris ex uretra exibant. Difficultas in urina emittenda nunc tertio quoque menſe, nunc etiam frequentius adeo illi increſcebat abſque manifeſta cauſa, ut iſchuria ipſa naſceretur.

Exhibui huic ægro purgantia mercurialia; ſed majorem inde in urina emitenda difficultatem paſſum eſſe ajebat. Deinde ex alterius Medici conſilio balſamica ſumpſit; ſed fruſtra. Denique ex aliorum medicorum præcepto iterum, iterumque Mercurio unctus fuit: ſed quemadmodum poſt primam, ſic neque poſt has unctiones ſalivatio ulla proceſſit. Ab iiſdem vero ſe in præceps actum fuiſſe dicebat Æger. Sinus, cuniculi, fiſtulæ variæ ortæ ſunt in pene, ſcroto, & perinæo ejuſdem, a quibus effluebat lotium. Anguſtiæ illæ maximæ,

a qui-

a quibus nunc rarius, nunc sæpius corripiebatur, in dies frequentiores erant. Denique postquam per triginta, & plures annos ab hoc morbo conflictatus fuit, doloribus, ac macie confectus periit.

ANIMADVERSIONES.

Hanc morbi historiam si quis mente revolvat, multa inveniet, quæ ejusdem naturam non omnino notam esse videntur ostendere: ac primo quamvis in hujus ægri uretra adesset ulcus, (nam hoc extra omnem dubitationem ponunt & guttæ illæ viscidi puris, quæ post pressionem exibant, & fistulæ illæ, quæ ultimis vitæ annis ortæ sunt) hoc tamen hujus morbi sufficiens causa esse non poterat: nam cum hæc permanens sit, etiam effectus ab hac geniti permanen-

tes esse debent; ideoque ab hac nasci poterat difficultas illa minor, quam semper patiebatur: at angustiæ illæ maximæ, a quibus nunc rarius, nunc sæpius corripiebatur, quanam ex causa pendebant? Cur hæc aliquando quiescebat, aliquando tantas turbas excitabat? Cur hujus effectum venæ sectio, & laxantia minuebant? Scio, quod mihi responderi potest; nempe quodlibet acre ad has partes delatum ulceratam uretram irritando non modo strangu-riam, sed ischuriam ipsam gignere potuisse; at cum sæpe & hujus Ægri urinam, & totum ejusdem corpus examinassem, nullum, quod aliquam ex notis acrimoniis indicaret, signum deprehendi: immo cum æger hic ex Medicorum præcepto occultum aliquod acre in hoc corpore latere judi-

judicantium, victu lacteo usus esset, tamen sæpe absque ullo in rebus non naturalibus errore summis illis in urina emittenda difficultatibus correptus fuit. Neque ad hoc simptoma gignendum videbatur aptum esse venereum seminium. Causa enim, a qua id oriebatur, mobilis esse debebat, nam ab hac modo uretra afficiebatur; modo eadem relinquebatur. Virus autem venereum fixæ (1) naturæ esse, & partibus, quas lædit, valde adhærere notissimum est. Præterea quì fieri potest, ut virus venereum, quod adeo multiplicativum (2) est, tantas strages per tot annorum cursum in uretra, & vicinis partibus continuatas excitaret, & reliquum corpus non inficeret? Si ergo Uretræ

(1) *Astruc. Pag.* 118.
(2) *Astruc. Pag.* 125.

træ ulcus omnium hujus morbi phænomenorum ſufficiens cauſa eſſe non poterat; ſi ſeminium venereum ad eadem gignenda aptum non erat: ſi in univerſo hujus ægri corpore nullum aderat ſignum, quod ullam ex notis acrimoniis indicaret, quanam ex cauſa phænomena hæc, & præcipue atroces illi ſtranguriæ paroſciſmi pendebant. Hæc conſideranti mihi argumenta varia in mentem venere, propter quæ ſuſpicio mihi orta eſt, morbum hunc non eſſe ſimplicem effectum vitii a gonorrhæa in uretra relicti; ſed etiam particularum Hydrargyri, quæ nunc rarius, nunc ſæpius ad uretram deferebantur, quamvis tunc ea, quæ poſtea, in Huteno, & Matthiolo inveni, nondum legiſſem. Primo certiſſimum eſt, morbum hunc tam a purgantibus mercu-

curialibus, quibus ego uſus ſum, quam ab unctionibus mercurialibus, quas alii Medici poſtea adhibuerunt, valde auctum fuiſſe. Secundo, quoniam ſtranguria hæc nunc tolerabilis erat, nunc abſque manifeſta cauſa valde increſcebat; tunc autem venæ ſectio, & emollientia pubi, & perinæo applicata ſatis cito ejus vehementiam minuebant, videntur paroſciſmi hi a convulſione ſuam duxiſſe originem. Mercurium autem convulſiones excitandi vires habere notiſſimum eſt. Tertio evidens eſt horum paroſciſmorum cauſam contumaciſſimam fuiſſe: Nam per triginta, & plures annos hunc ægrum vexavit. Talem autem cauſam Mercurium eſſe jam ſupra probavimus. Denique qui horrendum hoc malum animo volutabit; qui & ſummos illos in urina expellenda conatus, &

ſinus

ſinus illos, cuniculos, fiſtulas, ex quibus effluebat urina conſidera-bit, mirabitur certe, hunc ægrum a febre immunem fuiſſe. Tot enim aderant cauſæ, propter quas valde etiam febricitare debebat. Hæc autem conſideratio Hydrargyrum hujus morbi cauſam fuiſſe indicat. Metallum enim hoc (1) vim antifebrilem habere plurimi Auctores obſervarunt. Plura alia circa hunc ægrum notare potuiſſem, quæ opinionem hanc meam magis poſſent probare; ſed hæc omiſi, quia a ſequenti obſervatione res clarior reddetur.

OBSERVATIO II.

Vir quidem temperamenti ſatis robuſti, qui ſæpe venerea lue infectus

(1) *Vill. 1. de febrib. Cap. 6. Fernel. Cap. 67. Ramazzin. de morb. artific. Pag. 15. Anton. Pujat. decad. var. Obſerv. Pag. 356. aliique.*

fectus fuerat; & ſemper Mercurio eam debellaverat; cum denuo poſt varias gonorrhæas virulentas luem contraxiſſet, & febricula veſpertina, nocturniſque doloribus vexaretur, meam quæſivit opem. Præmiſſis decoctis diluentibus, humectantibus, ſeptem, aut octo mercurii dulcis grana huic ægro per quatuor dies exhibui: poſt quorum uſum correptus fuit animi deliquio adeo terribili, ut eum tamquam jamjam moriturum Sacerdos O. S. ungeret. Poſt aliquod tamen tempus ægrum, qui jam revixerat, inviſi. Pulſus erat tardus, debilis; facies ſqualida; os amarum; alvus obſtructa; ſalivatio vix ulla aderat: magnis præterea ſtomachi doloribus cruciabatur. Manifeſtum erat, hæc (1) ſimptomata a mercurio ven-

(1) *Conf. Vans-vvieten tom. 1. Pag. 167.*

ventriculum, & inteſtina irritante pendere: idcirco cardiacum ſudoriferum exhibui, & clyſmate ex lacte, & ſaccharo alvum laxavi. Poſt horum remediorum uſum dura, ſicca, nigra ſcybala egeſſit; dolores ſtomachi evanuerunt, levis ſalivatio orta eſt. Tunc victum tenuem huic ægro imperavi, remedium nullum. Levis tamen illa ſalivatio per viginti dies duravit; qua ceſſante unum, aut alterum Mercurii dulcis granum ſecundo, aut tertio quoque die exhibui, ſic eadem diu continuavit; & æger ſenſim a febricula, nocturniſque doloribus liberatus eſt. Cum jam e domo exiſſet, & frigidiuſculo ſe expoſuiſſet aeri, ſtranguria corripitur. Statim advocor, ægrumque invenio aſſiduis ad urinam emittendam ſollicitatum teneſmis, ſed niſi

poſt

poſt multa conamina aliquot lotii guttas emittentem. Cum interfæmineum hic æger premebat, una, aut altera ſtilla viſcidi puris exibat. Tunc ægrum interrogavi, num antea hoc morbo laboraverit? Faſſus eſt poſt ultimam mercurialem unctionem, qua quatuor annis ante uſus erat per aliquot dies eumdem paſſum eſſe; ſed, poſt quam ex Medici præcepto emollientia pubi applicavit, ſatis libere lotium effluxiſſe. Statim crevit mihi ſuſpicio illa, quam poſt primam obſervationem jam animo conceperam, morbum hunc pendere poſſe a mercurialibus atomis ad vitiatam uretram delatis: ideoque remedia illa, quæ ad Mercurium e corpore eliminandum Auctores laudant, per 15. dies adhibui, balnea ſcilicet, & (1) decocta ſudori-

(1) *Ramazz. di morb. artif. Pag. 37. Liiſter. exer. de lue Vener. Iann. Gorter. diſſer. de Vertig.*

dorifera: poſt quorum uſum abſque ulla moleſtia urina effluxit. Sed poſt aliquot hebdomadas, cum jam ſua munia obire cæpiſſet æger, recruduit morbus. Iiſdem tamen remediis, & balſamicis roborantibus injectionibus imminutus fuit. Octo abhinc anni jam elapſi ſunt: toto hoc temporis decurſu ab hoc morbo vix unquam liber fuit: in dies tamen mitigatur. Ut plurimum levem in urina emittenda difficultatem patitur; quæ tamen aliquando adeo illi increſcit, ut medicis indigeat auxiliis. Cum accedit illi ſtranguriæ paroſciſmus, ſentit primo pondus ſupra os pubis cum aliqua Hypogaſtrii tenſione. Decocta ſudorifera morbum avertunt. Balnea, fomenta, emollientia eumdem ſedant. Stillant etiam nunc guttæ aliquot viſcidi puris,

eum

cum perinæon premitur. Urina hujus ægri ſanis ſimilis eſt: ſudat facillime; in univerſo hujus ægri corpore nullum adeſt ſignum luis venereæ, nec ullius acrimoniæ: Diu levem Salivationem paſſus eſt; non infrequenter vertigine laboravit: febre caret: immo ejuſdem pulſus ſanis aliquando tardior eſt. Bis his octo annis correptus fuit abſque manifeſta cauſa diarrhæa vehementiſſima cum ſummis convulſionibus: vultu ſquallido, cadaveroſo; pulſu adeo parvo, debili, ut vix ſentiri poſſet. Materies per alvum tunc egeſta liquidiſſima erat, ab urina vix diſſimilis. Hæc tamen diarrhæa cardiacis, theriacalibus ſedata. Semel his octo annis poſt impuram venerem gonorrhæam virulentam contraxit: vetus tamen ſtrangu-ria inde aucta non fuit; immo

hæc gonorrhæa cito abſque ullo remedio evanuit.

ANIMADVERSIONES.

Medici, ut noſcant, cujus indolis ſit vitium illud, a quo morbus aliquis naſcitur, inquirunt primo, quænam evidentes cauſæ morbum præceſſerint: ſecundo quodnam vitium a morbi phænomenis indicetur. Si vitium, quod hæc phænomena indicant, eſt illud ipſum, quod prægreſſæ cauſæ ſolent inducere; ſi deſint omnia ſigna, quæ vitium alterius naturæ indicare queunt; ſi denique remedia, quæ ad hoc corrigendum vim habent, etiam in hoc morbo valeant, tunc de ejuſdem natura eum habent, probabilitatis gradum, quo major in medicina raro haberi poteſt. Quoniam autem

tem cauſæ, quæ ſtranguriam hanc præceſſerunt, globulos mercuriales humoribus hujus ægri immiſcere potuerunt: phænomena eamdem comitantia horum globulorum effectus eſſe ſolent; & idcirco mercurium in humoribus latentem indicant: remedia, quæ mercurium e corpore eliminant, etiam in hoc morbo valuerunt: denique deſunt omnia ſigna, quæ vitium alterius naturæ indicare queunt, de hujus ſtranguriæ cauſa fere certi eſſe poſſumus.

Æger hic ſæpiſſime Mercurium adhibuerat: hanc igitur ſtranguriam præceſſerant cauſæ, quæ Hydrargyri atomos humoribus immiſcere potuerant. Præterea quoniam poſt levem mercurii dulcis doſim ſtatim ægrum corripuerunt ea ſimptomata, quæ argenti vivi ad ſtomachum, & inteſtina ni-

mia vi delati effectus esse solent, liquet, mercuriales globulos ab antecedentibus unctionibus relictos in hujus ægri corpore adfuisse eo tempore, quo meæ se curationi commisit; nam vix fieri potest, ut aliquot mercurii dulcis grana tantas turbas excitarent, nisi illorum vis ab argenti vivi sphærulis antea existentibus aucta fuisset.

Æger hic plures gonorrhæas virulentas passus erat: ideoque ejus uretra, & aliæ partes, quæ gonorrhææ sedes sunt, vitiosæ esse debebant, & morbo opportunæ. Hæc tamen vitia lædentem causam ad uretram, ut ita dicam, attraxere, sed morbum non pererunt. Nam vitia hæc aderant etiam eo tempore, quo meæ se curationi æger tradidit: de hac tamen difficultate quæstus non est.

Præ-

Præterea cum accedit ſtranguriæ paroſciſmus ſentit primo hic æger pondus ſupra os pubis cum aliqua hypogaſtrii tenſione. Liquet ergo ſtranguriæ hujus cauſam ad uretram deferri, nec permanentem eſſe.

Neque ſeminium venereum ad has partes delatum accuſari poteſt. Nam ſtranguria hæc orta eſt poſt luis venereæ curationem, & poſtquam omnia ejuſdem ſimptomata evanuerant. Præterea his octo annis nullum unquam in univerſo ejuſdem corpore apparuit ſignum ejuſdem ſeminii: toto hoc tempore cum propria uxore cubavit, nec tamen eamdem infecit; quamvis antea, cum manifeſta lue laborabat, ſæpe eamdem infeceſit: a contracta hoc tempore gonorrhæa difficultas in urina emittenda aucta non fuit; quod fieri

maxime debuiſſet, ſi a ſeminio venereo hæc difficultas ortum duxiſſet: Denique, ut, jam ſupra notavi, virus venereum, quod fixæ naturæ eſt, ad morbum, qui mobilem cauſam requirit, gignendum non poteſt eſſe aptum.

Deſunt quoque omnia ſigna, quæ acrimoniam alterius naturæ indicare queunt, nam febre caret; urina ejuſdem ſanis ſimilis eſt; fames viget; ſitis morboſa; dolores omnes abſunt: dicam verbo, omnes ſuas functiones ſatis bene peragit. Quænam autem eſſe poteſt acrimonia iſthæc, quæ humoribus mixta, &cum iiſdem circulans, contumaciſſimum in una corporis parte morbum parit, & tamen in reliquo ejuſdem Ægri corpore nullum ſui ſignum prodit?

Adſunt tamen in hoc ægro multa,

ta, quæ mercuriales globulos in ejuſdem humoribus latere indicant: nempe primo, quo tempore mercurium dulcem ſumpſit, paſsus eſt ea ſimptomata, quæ ab Hydrargyri globulis, ventriculum, & inteſtina nimia vi irritantibus naſci ſolent, ideſt animi deliquium, dolores præcordiorum, oris amaritiem, alvi obſtructionem. Secundo levis ſalivatio, & ſudores frequentes, quibus hic æger vexatur, ſignificant in ejuſdem corpore adeſſe diſſolventem cauſam, qualem mercurium eſſe omnes ſciunt. Tertio Febris carentia, immo pulſus aliquando tardior notat vim illam Mercurii, quam Antiqui frigidam vocabant; recentiores antifebrilem. Quarto Vertigo: hanc autem eſſe Hydragyri effectum (1) Olaus Borrichius,

(1) *Acta Haffn. volum. 2. pag. 163.*

(1) Huttenus, (2) Gorterus obſervaverunt. Quinto Morbi diuturnitas monſtrat cauſam ejuſdem a viribus vitæ vix ſuperari poſſe: Talem autem cauſam Mercurium eſſe jam ſupra vidimus. 6. Diarrhæa, quam bis his octo annis paſſus eſt abſque ulla cauſa, & quam comitabantur eadem ſimptomata, quæ oriri ſolent, cum Mercurius nimia vi ruit ad inteſtina. 7. Modus, quo ſtranguriæ paroſciſmus accedit, indicans, eumdem pendere a convulſione veſicæ, ejuſdem ſphincteris, & uretræ: Hydrargyrum autem hac vi pollere notiſſimum eſt. Denique juvamen ab iis remediis, quæ Mercurium expellunt. Hæc igitur, quod ſupra propoſui, ſatis aperte indicant.

OB-

(1) *Loco ſupra citato.*
(2) *Diſſert. de Vertig.*

OBSERVATIO TERTIA.

Duo Juvenes lue venerea infecti ex meo consilio Mercurium dulcem per plures dies sumpserunt. Horum unus sæpe; alter semel tantummodo gonorrhœam virulentam passus erat; sed contumacissima eadem fuerat. Uterque tamen eo tempore, quo hoc remedio uti cæpit, ab hoc morbo convaluerat. Neuter in urina emittenda molestiæ quidquam patiebatur; nec ex illorum uretra quidquam stillabat. Post hujus remedii usum salivatio nulla processit; sed uterque de levi in urina emittenda difficultate questus est. Statim iis imperavi, ut se a Mercurio per plures dies abstinerent. Illi autem morem gerentes, cito stranguriam cessasse mihi narra-

ve-

verunt. Mercurium denuo exhibui, ſed imminuta doſi, & quamvis ſalivatio nulla oriretur, tamen cum alvus exturbata eſſet, & levis matutinus ſudor prodiiſſet, ſenſim omnia luis ſimptomata evaneſcere cæperunt.

ANIMADVERSIO.

In ambobus his ægris leviſſima fuit ſtranguria: ſed in utroque orta eſt poſt Mercurii uſum; in utroque ceſſavit, poſtquam idem omiſſus eſt. Neuter unquam alias huic morbo obnoxius fuit. Hullus in 6. rebus non naturalibus error præceſſit, qui tamquam ejuſdem cauſa accuſari queat. Hæc igitur obſervatio cum ſuperioribus collata propoſitionis meæ veritatem magis probabit.

OB-

OBSERVATIO IV.

Puella quædam oculorum morbo laborans, ex cujuſdam Medici conſilio Hydrargyrum ſumpſit: & ab hoc morbo convaluit. Poſt plures annos nupſit, & utero concepit. Sexto geſtationis menſe cutaneo morbo correpta, ex alterius Medici conſilio eodem remedio denuo uſa eſt. Cutaneus morbus evanuit, ſed ſtatim abortivit. Poſt abortum remanſit dolor in lumbis pertinax nullis cedens remediis. Deinde quatuor alios abortus eodem ſemper menſe paſſa eſt, quamvis ad hos præcavendos plurima remedia a variis Medicis præſcripta ſumpſiſſet. Denique a me conſilium cæpit. Hanc Mulierem attente examinans judicavi abortus hos eſſe

Mer-

Mercurialium globulorum in humoribus adhuc latitantium effectus. Comitabantur enim hunc morbum ea symptomata, que ut supra jam notavi, ab his globulis nasci solent: nempe levis salivatio, vertigo frequens, pulsus nunc sanis similis, nunc iis aliquando tardior. Præterea aliquam in urina emittenda difficultatem patiebatur. Cæterum saniſſima erat hæc mulier: nihil in excrementis vitii, nihil in universo ejusdem corpore. Exhibui huic mulieri decocta sudorifera, quibus quamvis nec satis diu, nec cum debito regimine usa esset, cum denuo concepisset, tamen usque ad octavum mensem fœtum gestavit; & eumdem vivum edidit; qui tamen, postquam baptizatum fuit, cito periit. Post aliquod tamen tempus iterum concepit, & vivum nono

men-

menſe, & ſaniſſimum filium edi-
dit.

ANIMADVERSIONES.

Cauſæ hunc morbum prægreſ-
ſæ; morbi ipſius natura; ſimpto-
mata eumdem comitantia; reme-
dia, quæ juvamen attulerunt, in-
dicant evidenter a mercurialibus
atomis ortum eſſe, ut hanc obſer-
vationem cum iis, que in animad-
verſionibus ſupra propoſitis nota-
vimus, conferenti ſatis patebit.
Quoniam autem inter ejuſdem
ſimptomata aderat etiam levis
ſtranguria, credibile eſt, hanc ab
eadem cauſa ortam eſſe. Docet
igitur hæc obſervatio, Hydrargy-
rum ſtranguriam excitandi vim
habere, ut Huttenus, & Matthio-
lus obſervaverunt.

OB-

OBSERVATIO V.

Juvenis ſaniſſimus, ut ſe a pla-ctulis liberaret, mercuriali unguento pubem, & axillas unxit; a qua unctione enecata fuerunt hæc inſecta. Poſt annum iiſdem denuo vexatus, eodem remedio denuo ſe unxit. Plactulæ perierunt iterum, ſed ſtatim ſtranguria orta eſt. Sollicitabatur ad urinam egerendam ſtimulo plane ſimili, ac ſollicitari ſolent illi, qui ſtranguria venerea laborant; ſed, ut hi ipſi, niſi poſt multa conamina lotium emittere non poterat. Ex uretra præter urinam nihil prodibat: nec gonorrhæa virulenta, nec lue venerea unquam laboraverat. A febre immunis erat, nec in urina, neque in univerſo ejuſdem corpore quidquam manifeſti

festi vitii apparebat: nisi quod, cum somnum capere incipiebat, convulsionibus corripiebatur. Sanguis missus est bis, qui sanis similis apparuit. Cassiam, & nitratas emulsiones sumpsit absque ullo juvamine. Denique ex meo consilio decoctis sudoriferis usus est, a quibus imminutus fuit morbus, diu tamen duravit sensim minor.

ANIMADVERSIONES.

Stranguria hæc ita similis erat illi, quæ venerea dicitur, ut ovum ovo. Hæc tamen videtur certissime orta esse a Mercurii globulis vesicæ sphincterem, & uretram irritantibus: nam statim post mercurialem unctionem apparuit absque ulla alia causa. 2. Valde contumax fuit, ut esse debent omnes

nes morbi ab hac cauſa geniti. 3. Stipata fuit convulſionibus, quæ Hydrargyri effectus eſſe ſolent. 4. Imminuerunt eam illa remedia, quæ Mercurium expellunt. Denique vexavit Ægrum, qui ſaniſſimus erat, & in quo nulla aderant ſigna ullius morboſi humoris. Qui obſervationes haſce meas attente conſiderabit, & cum iis, quæ ſupra propoſuimus, conferet, haud dubitare poterit, ſtranguriam illam, quæ poſt plures gonorrhæas virulentas, & repetitum Hydrargyri uſum naſcitur, eſſe aliquando globulorum Mercurialium uretram, & vicinas partes irritantium effectum. Neque enim hic contendo, ſtranguriam, quæ venerea dicitur, ab hac cauſa ſemper pendere; ſed aliquando ab hac naſci poſſe, & Medicis fucum facere. Oro igitur

om-

omnes Medicos amantes veritatis, ut, ſi meis obſervationibus temere fidem præſtare nolunt, ſuis credant oculis. Obſervent diligenter, quotieſcumque ſimiles caſus ſe ſe illis offerunt, utrum in his ægris cauſa hæc indicetur. Si ſtranguria illorum orta eſt poſt repetitum Mercurialium uſum; ſi poſt hoc remedium levis, aut nulla ſalivatio ſupervenit: ſi differat ab illo ardore, quem ſæpe patiuntur illi, qui gonorrhæa virulenta laborant (nam in ſtranguriis iis, de quibus nunc loquor, ardor non adeo magnus eſt, ſed adeſt tantummodo ad urinam egerendam ſtimulus: ægri autem in illius excretione impedimentum aliquod ſentiunt, quod niſi multa conamina ſuperare queunt). Si deſunt in illorum ægris omnia ſigna Venerei ſeminii, vel alterius

acrimoniæ: Si hæc ſtranguria aliquando tolerabilis ſit, aliquando abſque manifeſta cauſa valde increſcat ſi hanc comitantur phænomena illa, quæ Mercurii effectus eſſe ſolent: ſi decocta ſudorifera, & injectiones balſamicæ morbum allievent, tunc obſervationibus hiſce meis fidem præſtabunt; & in Mercurii uſu eas cautelas adhibebunt, quæ ægris, ne in tam dirum incidant morbum, cavere poſſunt.

RARIORES OBSERVATIONES

ad Luem veneream ſpectantes.

Juvenis quædam Ophtalmia per quadriennium laboraverat. Tunicæ adnata, & cornea valde rubebant; dolor tamen non adeo magnus erat. Febris aberat, nec in reli-

quo

quo ejuſdem ægræ corpore quidquam manifeſti vitii apparebat. Plura remedia pharmaceutica, & chirurgica adhibuerat, ſed fruſtra. Jam viſus acies minui cæperat. Jam leve quoddam albuginis initium in cornea apparebat; cum ex meo conſilio felle Bovis oculos unxit. Poſtquam per varios dies hoc remedio uſa eſt, rubor, & albugo ſenſim evaneſcere cæperunt; continuato autem ejus remedii uſu fere omnino ſanati ſunt. Aſt eodem fere tempore, quo hic morbus minui cæpit, apparuit circa radicem linguæ ulcus, quod ſenſim in latum magis, quam in profundum ſerpens, linguæ dorſum, uvulam, palatum exedebat. Pluribus remediis fruſtra tentatis, tandem profligatum fuit, poſtquam Mercurium dulcem per varios dies ſumpſit hæc ægra.

Duo ſimilia ulcera, unum in puella annorum 11., alterum in alia puella ætatis non multo majoris abſque manifeſta cauſa circa eaſdem partes nata, quæ per plures annos duraverat, aliiſque remediis non ceſſerant, tandem eodem Mercurio curavi.

Ulcera hæc a ſeminio venereo pendere judicavi, primo quia magis in latum, quam in profundum ſerpebant, ut venerea ulcera ſerpere ſolent. 2. Quia eas partes occupabant, quæ frequentiſſime a Venereis ulceribus occupari ſolent. 3. Quia in his ægris deerant omnia ſigna alterius acrimoniæ. 4. quia nullis, niſi antivenereis, ceſſerunt remediis.

Virus venereum his puellis videtur communicatum fuiſſe aut ab Pillarum arentibus, aut a nutricibus, a quibus lac hauſerunt;

nam

nam mores illarum erant optimi; præterea una ex his 11. annorum erat, ideoque ad coitum nondum apta. Virus ergo venereum in humoribus alicujus hominis latens potest tacitum silere diu sine noxa, deinde sponte revivisscere, & venereum morbum gignere.

Fel Bovis, quo supradicta puella oculos unxit, sufficiens remedium esse non potuit ad causam Ophtalmiæ, quæ per annos quatuor duraverat, eradicandam; sed tantummodo morbosum illum humorem, a quo hæc oriebatur, discussit, & in alium locum pepulit. Quoniam vero eodem fere momento, quo minui cæpit ophtalmia, apparuit circa radicem linguæ ulcus, liquet hoc ab eodem morboso humore ortum esse, a quo Ophtalmia nascebatur: sed ulcus hoc a seminio venereo, ut supra

probavimus, ſuam trahebat originem; ergo & Ophtalmia ab eodem ſeminio orta erat. Ophtalmia igitur inter ſimptomata luis venereæ referri debet.

OBSERVATIO II.

Religioſa quædam, cujus ætatem non ſatis memini, ſed certe annos ſupra quadraginta nata erat, conflictabatur dolore fixo in latere dextro thoracis; qui noctu atrox erat, veſpertino tempore mitigabatur. Aderat quoque in hac ægra tuſſis, & febricula, quæ circa veſperam incipiebat, mane fere ceſſabat. Jam morbus hic per decem annos hanc ægram vexaverat, cum illi Mercurium dulcem propinavi. Didiceram enim ex Baglivo dolores hos aliquando a lue venerea pendere. Orta eſt

ſalivatio, quæ diù duravit; dolor autem, tuſſis, & febricula nocturna omnino evanuerunt. Hujus Virginis ſoror eadem pariter Religioſa per viginti annorum curſum nocturnis oſſium doloribus excruciata fuerat, qui eam ad ſummam maciem redegerant. Huic victum lacteum imperavi, & decocta radicis bardanæ, cinæ, ſarſaparillæ in ſero lactis, a quibus magnum juvamen retulit. Ambo hæ mulieres a pluribus ſuſpectis nutricibus lac hauſerant.

Ex his obſervationibus magis probatur, quod ſupra propoſui, nempe virus venereum in humoribus latens poſſe aliquando etiam per 20., & plures annos tacitum ſilere; deinde ſponte reviviſcere, & venereum morbum gignere. Erat enim fere certum his Religioſi ſeminium venereum ab illarum

nutricibus communicatum fuiſſe. Hoc tamem niſi poſt 20. & plures annos ullum ſui ſignum prodidit.

OBSERVATIO III.

